EXERCITATIO ACADEMICA

DE

CANDORE

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO

PRINCIPE AC DOMINO

FRIDERICO

HASSIAE LANDGRAVIO RELIQVA

PRAESIDE

FRIDERICO VLRICO PESTEL

IVRIS VTRIVSQVE DOCT. ET PROFESSORE PRIMARIO
MORALIVM VERO ORDINARIO

AD DIEM XVI IVLII M DCC XL

PVBLICAE ERVDITORVM CENSVRAE

SVBMITTET

FILIVS EIVS NATV MAIOR

FRIDERIC. GVILIELMVS PESTEL.

RINTELII
TYPIS IOHANNIS GODOFREDI ENAX
ACAD. TYPOGR.

Digitized by Google

Digitized by Google

§. I.

Quotquot a praeiudicatis opinionibus liberi maiorem in perſcrutandis hominum moribus, quam contemplandis rebus obſcuris, difficilibus, iisdemque non neceſſariis, induſtriam collocant: iis ad vnum omnibus haec confeſſio extorquetur; virtutem, quam vocamus, moralem non ſeria modo Numinis Diuini auctoritate, ſed ſua quoque pulchritudine ac bonitate natiua commendari. Neque enim fieri poteſt; quin ea res in ſe egregium quid atque perfectum habeat: cuius tanta cum felicitate humana ac ſapientia diuina cognatio eſt, vt ipſe Deus ab aeterno hanc immotam et ſapientiſſimam non potuerit non homini praeſcribere vitae regulam. Cui quidem veritati, qui infinitam Dei potentiam, obſtare clamitat: is velim cogitet; num ab omnipotente huius mundi creatore monſtrum iſtud horrendum proficiſci potuerit? quod ridicula

Oſtenditur hominem ad colendam virtutem natam eſſe.

Digitized by Google

dicula connexione ideoq; turpitudine insita continetur: vt significanter *vitium a vitando* dictum videatur. Quod si quis vero genuinam sanctitatis ac sapientiae diuinae imaginem animo extruxit: idem ille et nefas omne cum his perfectionibus pugnare, et nunquam accidere potuisse clarissime intelliget: vt Deo ingrata essent officia, quae homini iucunda, et quibus ad absolutas ac omnibus suis partibus expletas virtutes divinas quam proxime accedit. Siquidem ea admirabilis est virtutis structura: vt, qui aliqua ex parte concatenatum ipsius ordinem laedere conatur, eodem facto et Deo et sibimet ipsi bellum inferat, ac, ad quem se plenis velis remisque contendere putat, beatae vitae portum imprudens praeteruehatur. Etenim cum ex effrenatis mortalium appetitionibus varii corporis atque intellectus morbi, et pleraeque status externi calamitates profluant: iis vero malis munita ad summi boni possessionem via virtus medicinam adhibeat: facile patet, pueris medicamenta adspernantibus simillimos videri: qui id, quod adeo salutare, vt triste atque acerbum respuunt. Rectius Poeta

Quae vobis, inquit, *quae digna viris pro laudibus istis*
Praemia posse rear solui? Pulcherrima primum
Di moresque dabunt vestri.

Hinc vana specie ac praesumta opinione decepti dulce venenum ac pestem admirantur textilem: qui externum huius vitae splendorem intuentes viuam ac sensilem vitiosorum felicitatem vel suscipiunt vel ocu-

oculis ſpectant irretortis. Ecquis enim beatos iudicaret, qui deteſtabili ſecuritate ac vehementiori affectuum vortice in dies abripiuntur? aut quis veram ſolidamque voluptatem nominaret, quam perceptam mox ipſi taedio ſubſequente damnant? Si miſerrimam ſceleratae vitae rationem, corporis dolores, animi aegritudinem, ac deſideria praeſertim, quorum vehementia huc atque illuc impelluntur, viua quadam attentione vitioſi conſiderarent, aut, quod eſt acute apud LOCKIVM, (*a*) id ſibi modo apud animum proponerent, *fieri poſſe*, vt poſt mortem iuſtiſſimus iudex ſua cuique rependat: inepte profecto iudicaturi forent; niſi ex contrariis id, quod *tutius eſt*, electuri, quodcunque eos a virtutis reuerentia et amore abducere valeret, cane peius ac angue fugerent. Ex quo conficitur; peruerſe ac turpiter ratiocinari alto ingenio homines: qui Cyrenaicos ſecuti omne virtutis pretium ex ſiculneis admodum conſuetudinis et educationis principiis deriuare ſatagunt. Idcirco enim virtutem *verba putant*, *vt lucum ligna*, quod non eadem gentibus ſint praecepta moralia: licet communiter eadem honeſta quaeque ac turpia diiudicandi facultate gaudere dicantur. Vnde aliis inſtant, placuiſſe populis, vt vel cum extremo vitae periculo parentum ſalutem liberi tuerentur, aliis vero, (*b*) vt ingruente ſenectutis moleſtia viuos atque videntes deuorarent: aliis latrocinia contra finitimos honeſta,

(*a*) *de intellectu humano cap. XXI. §. 70.*

(*b*) Maſſagetis conf. omnino PVFFENDORF. *Iur. Nat. et G. L. 2. cap. 3. §. 8.*

Digitized by Google

aliis infamia viſa fuiſſe: vt nulla non gens pro lubitu eas, quae mores formant, veritates definiendo, alias errare, ſe demum vera tradere exiſtimauerit. Hinc ridenda concludunt, quae luculentius de virtutis ſtabilitate diſſerantur, quod otioſas Philoſophorum inuentiones ſapiant, ſpectra moralia ſint, quorum horrido adſpectu exterrita plebs in officio contineatur. Verum ſi quis inextricabilem hunc labyrinthum aut nos Penelopae telam retexuiſſe exiſtimet: facile haec dubia diſſolui poſſe ſciat velim, modo firmiter tenuerit, nemini innatas eſſe ipſas virtutis notiones, ingenitum vero omnibus eas acquirendi principium, quod ſi in variis vario ſe exſerat modo, diuerſae hominum voluntati id imputandum: cuius cupiditatibus vt plurimum corrumpi intellectum, quem vocamus, ſuperiorem, neminem fugit ſaniori philoſophiae deditum. Quare vt aliis ſic et his turbis excitandis innati ad vitia ac praeſertim ad incuriam igniculi maxume idonei ſunt: qui cum vires acquiſiuere eundo, ſcientia comparandae felicitatis, id eſt, neceſſaria quaedam animi attentio debilitata opprimitur: vt iam vigilans quaſi dormias, et totus praeſenti libidine concitatus nequidem noris, quas moderari debebas, appetitiones. Haec ipſa labes haereditario malo propagata, quod effuſa quadam delectatione nititur, facilius in mores degenerat, et communi plurium conſilio comprobata incautis ſub honeſtatis nomine obrepit ac efficit, vt iuſta iniuſta ac praua fiant moribus. Damus adeoque ad corroborandam, cuius modo ſignificauimus originem, ſtultos inter et ſapientes

Digitized by Google

pientes diſſenſionem, vim magnam educationis eſſe: quoniam quo ſemel eſt imbuta recens ſeruat odorem teſta diu. Sed eam tamen nulla nec cum lacte nutricis hauſta opinio intelligentiae neceſſitatem, quae rationem vincat aut legem, iniicere poterit: quin, cum viuendi artem intentius rimari volueris, dignoſcere queas, quid ſolidum crepet. Hinc iniquum eſt, ideo, quod permulti mortalium ſtrenua laborant inertia, et veruecis inſtar ſectarii peſſimorum gregem ac id, quod fieri ſolet, quam quod fieri debet, ſequi malunt, omnem rectae rationis vim atque efficaciam plane incertam imo extinctam putari. Nam vt iis, qui omnia tenebris repleta, et quae candida ſunt, nigra putant, quia clauſis oculis incedunt, iisdem apertis facile error oſtendi poteſt: ſic et hoc in genere impedimentis quibusque remotis apertiſſimi errores ipſaque virtutis altitudo viuis adeo coloribus ſolidisque argumentis demonſtrari poterit: vt non poſſint non in hac demonſtratione maligni homines, mutata priori ſententia acquieſcere. Itaque gentium quae eſt in ſpeciatim delineandis variis vnius virtutis partibus diuerſitas quid quaeſo aliud, quam mundum regi opinionibus, atque adeo dicti iſtius veritatem probabit:

O ſtultas hominum mentes, o pectora coeca!
Qualibus in tenebris quantisque periclis
Degitur hoc aeui quodcunque eſt?

Adeo nos non ferit ſed munit, quod ſupra de publico, duas inter gentes diſcrimine in definiendis, quae liberis erga parentes tuendae ſint, partibus allatum fuit:

cum

cum non in eo, an virtus vitiis praeferenda ſit, ſed in ea quaeſtione? qualis illa virtus ſit ac haberi debeat, et quibus maxume officiis iſta erga parentes pietas declaretur, vtriusque populi diſſenſio extiterit. Si quis vero ſuſpenſo ore mirabitur, quid ſit, quod integrae gentes in vitiorum coeno ſe volutantes id lutum omni ex parte gratiſſimum alioq; ſtercore praeſtantius ſibi repraeſentauerint: is eo magis obſtupeſcet, cum rationem poſtulabimus ſufficientem, qua factum fuerit, vt in ea republica, vbi religio ipſa nefandis ſceleribus fauebat, viri exſtiterint, qui copioſe hos ciuitatis mores deteſtandos demonſtrauerint. Neronem libidinoſiſſimum imperantem matre interfecta non externa vi, ſed facinoris conſcientia, eiusque taedis ardentibus exagitatum exhibet TACITVS (*c*) inprimis vero quid Carolo IX. Galliarum Regi peracta laniena Parienſi euenerit, plena ſunt hiſtoriarum monumenta. Quodſi opinio, ac, quae eam firmat, educatio certiſſima, vt volunt, actionum moralium menſura foret: tantum abfuiſſet, vt fidem haereticis, quos vocant, iniuſte violatam vnquam ſubtriſtis ſibi in memoriam redegiſſet: vt potius fraudem rege dignam aeternæ ſibi laudi atque ſaluti futuram ſperaverit. Sed nulla nec Pontificis Maximi, ſacerdotum, oratorum, imo et politicorum laudatio, aut altiſſimae iſtius erroris radices impedire potuerunt: quo minus inſito quodam lumine motus fuerit, vt diris deuoueret ſententiam a teneris licet vnguiculis ipſi acerrime probatam, atque ſic ſuccedente in locum ful-

(*c*) *Annalium lib. 24. cap. 10.*

Digitized by Google

falsissimi iudicii recta ratione voluntatem diuinam et neglectam verae virtutis nobilitatem perspexerit. Vnde colligimus; fieri posse, vt homines se ad haec vel illa officia natos esse minus peruideant: nullum vero in philosophia morali errorem esse prorsus non superandum, sed in tanta hominum vel socordia vel contumacia firmis fundamentis fultam ac optimis praemiis commendatam persistere colendae virtutis necessitatem: cuius vim vitiosi, dulcedinem pii experiantur.

§. II.

Demonstrat veram saepius cum fucata virtutem confundi, quae vt discernantur, sinceritatis rationem habendam esse.

Ea vero hominum in tanta philosophiae luce vera bona ignorantium peruersitas est: vt iam non meliora sed cautiora extiterint plerorumque consilia: et vix totidem, quot diuitis ostia Nili, esse quam videri malint, germanae honestatis studiosi. Etenim de Deo cogitare plerisque idea nimium intellectualis adeoq; florida attentione indigna videtur, quippe qui dulcissimum putant, primis statim obsequi appetitionibus; indeq; quod in hac publica veritatum moralium existimatione pudor, ac innatum securae voluptatis desiderium postulat, ne sibi vel aliis peccasse videantur, nouis in dies et sibi plaudunt et alios fallunt boni malique coloribus, atque adeo Apellis quasi politissimam artem mutuati coloris optime habita ratione impedire student: quo minus, quod cadauer est, in posterum pro tali habeatur. Machiauellus vero, inclutus iste in commendandis quibusq; flagitiis artifex, eo vsque temeritatis progreditur: vt virtutem ipsam haud magnopere curandam iubeat, sed tan-

tantum ſpeciem eius in publicum verſam, quia virtutis fama atque opinio homini adiumento ſit, virtus ipſa impedimento. Qui quam peruerſe vera bona cum apparentibus, praeſentem laetitiam cum vera futuraque felicitate confundat, facile patet: perinde vt nemini obſcurum erit, illam rem in ſe praeſtantiſſimam eſſe, ad quam tanquam ad aram amici pariter atque inimici diſpari licet conſilio confugiunt. Id vero quam lubentiſſime concedimus, quod ſi mutato nomine id, quod ſolidi in re ineſt, continuo corrueret, actum foret de omni virtutis robore: cum iam olim Cato apud Saluſtium vera doluerit rerum amiſſa vocabula: et his praeſertim temporibus nefaria quaeque honeſto nomine tegantur, (*a*) hominesque id agant, vt non tam diuinae voluntati ſatisfaciant, quam ſatisfeciſſe videantur. Facile enim per partes oſtendi poſſet, plus iuſto vſu veniſſe, quod a Iuuenali dictum fuit:

- *Quis virtutem amplectitur ipſam*
Praemia ſi tollas?

Fuerunt, qui mira grauitate incorruptum Dei amorem prae ſe ferentes vultu ad triſtitiam iramque compoſito in deprauatos ſeculi mores et tepidum ſum-

(*a*) Quantum animos mouere valeat nefaria haec vocum immutatio, vel ex vnico exemplo elucet, quod eſt apud TACITVM *in vita Agricolae cap.* 21. vbi nimirum ad molliendam Britannorum ferociam varias voluptatis illecebras adhibuerunt Romani: illaque delinimenta vitiorum apud imperitos humanitatis nomine venerunt, cum pars quaedam ſeruitutis fuerint.

Digitized by Google

ſummi Numinis cultum inuehi didicerunt: licet omnis eorum pietas nil niſi feruens gloriae ſordidique lucri deſiderium aluerit. Nec temere aut impune cuiquam turpiſſimum iſtud tantae exiſtimationis furtum ſuboluit: *quod praeſertim (d) vbi Dei Numen praetenditur ſceleribus, ſubit animum timor, ne fraudibus humanis vindicandis aliquid diuini iuris immiſtum violetur.* Pari modo in iis, quae homini erga ſemetipſum ac alios incumbunt, officiis adeo ſcienter neceſſitate, ſpe metuque boni vel mali praeſentis abrepti temperantiam et aequitatem ementiri ſolent: vt raro in his vel ſagaciſſimo cuique occultiores prauae libidinis venas reperire liceat. Quid? quod plerique veterum Philoſophi, qui prae aliis praeſtantiſſima ſibi plaudebant virtutum moralium ſcientia, pro aris ac focis idcirco veneream voluptatem vituperarunt, quod pro certiſſimo mollis et effeminati animi ſigno habebatur, contra ea fortitudinem commendarunt, quod viro graui maxume dignam exiſtimabant magnificam rerum geſtarum memoriam, imo omnes fere actionum regulas non ad legem diuinam, ſed ad gloriae eiusdemque haud radicatae ſcopulum retulere. Hic frequentiſſimus ac communis fere Romanorum error ad Lydium verae virtutis lapidem alliſus, atque ſic legitime detectus, cum non inepte reiiciatur, ac in diiudicandis veterum factis illuſtribus feliciſſime ſuum cuique tribuamus: qui fieret, vt iidem in percontandis eorum, cum quibus adhuc viuis verſamur, moribus toties

(d) v. LIVIVS *l.* 39. *cap.* 16.

nubem pro Iunone accipiamus, nisi de his viuidius affectuum gurgite praecipitati sententias diceremus, ac nostra magis propensione, quam solidioribus veritatum principiis actiones aliorum metiremur. Hinc fieri solet, vt nefaria non raro flagitia risu quam ira et odio digniora habeantur: quod specie quadam honestae recreationis hominibus illudunt, eosdemque iugulant. Etenim, vt eleganter SENECA, (e) *tam diu malos officiorum iudices agimus, quam diu illa deprauat spes et metus et vitiorum inertissimum voluptas.* Vt taceam, haud adaequate perspici immo tegi et saepe defendi eorum vitia: quos ob varia beneficia singulari amore prosequimur: admiratio praesertim in caussa est; vt simia quaedam genuinam virtutis naturam imitata nobis adeo imponat. Habent enim nonnullae virtutes praesertim vero liberalitas, modestia, fortitudo, vrbanitas in se amabile quiddam: quod prima fronte animos acerrime voluptate movet: vt non perueſtigato consiliorum fundo in admiratione externi splendoris conquiescentes magnificentius de homine sentiamus, quam reuera meretur. Ea ratione pacifici praedicantur: qui acriores quasque contentiones vtpote commoditati contrarias odio plusquam Vatiniano prosequuntur: misericordes laudantur; qui quod siccis aliorum lacrumas intueri nequeunt oculis, ne qua tristis hilaribus subnascatur rerum repraesentatio, aliquid erogant. Num autem eum, qui repentino aliquo motu, gloria, lucro, libidine incensus, actiones edit mirifice ni-

(e) *de beneficiis lib.* 4.

niteſcentes, voluntati diuinae ſatisfeciſſe putabis, de qua ne quidem cogitauit? Ex quibus patet cauſſam et aliorum ſolertiae et noſtrae in iudicando leuitati tribuendam eſſe, quod adeo

Vitium fallit ſpecie virtutis et vmbra.

Caue autem ob tam incertam actionum humanarum indolem inconſiderate omnes virtutes Ethicas ſimulacra tantummodo virtutis cum Platone exiſtimes: rectius Seneca *Ep.* 45. in his magno periculo errari monet; hinc illis certas notas imprime, easdemq; ipſemet hiſce rebus feliciter imprimes, cum eum potiſſimum finem conſideraueris homini praeſcriptum: vt Deo obſequatur; qui virtutem et mandat et efficit. Inde veriſſimus et maxume neceſſarius vniuscuiusque virtutis character emergit, *ſinceritas*, virtus ea generalis, quae reliquas omnes in ſinu fouet, ac, vt Dei voluntas quibusq; in negotiis homini ob oculos verſetur, efficit: cuius itaque niſi exacte ratio habita fuerit, virtutis vmbra erit, quae perperam virtus appellatur, callidi ac naturae impulſibus aberrantes erunt, quos bonos ac voluntatis diuinae amatores putas. Nolim vero tibi perſuadeas, nos eandem, quam Fenelonius in amore Dei, in virtutis cultura quaerere puritatem: potius ingenue aſſerimus eam innoxie propter ſe et commoda inde redundantia expeti. (*f*) Sed quod

(*f*) Tres iſtas de colenda virtute opiniones, primam, quod ob voluntatem diuinam, ſecundam, quod ob internam ipſius excellentiam, tertiam, quod ob commoda et praeſentia et futura colenda ſit, optime conciliauit

et Epicurei ad insitam virtutis nobilitatem prouocant, (g) ac alii commodis suis atheorum instar forte renunciantes has causſas impellentes secundas facile negligunt vel peruertunt: sinceritas stabile illud fundamentum erit: quam qui semper obseruat is demum vere ac certissime felicitati suae consulit.

§. III.

Quae vniuersae virtuti, eadem et candori competunt, cuius proinde vera notio definitione explicatur.

His praemuniti ad sinceritatem in sinceritate ipsa ostendendam feliciori consilio ingredimur; eius virtutis fontem, effectus, atque fines explicaturi: quae *ab omni cera* abhorrens iucundissimam continet vitae omnis societatem. Ne cui vero anceps candoris significatio statim ab initio imponat: pro variis hominum moribus variam, eamque sinistram monemus huic voci subiici sententiam: vt, si ex his erroribus diiudicanda foret virtus optima, immerito quis cum OVIDIO quereretur

Candor in hoc aeuo res intermortua pene.

Is

ciliauit CROVSAZ *traitè dubeau v. Iournal Literaire ao.* 1714. *mens. Sept. et Octobr. p.* 94. Nota alioquin sunt scripta eristica, quibus de amore concupiscentiae et complacentiae disceptarunt Fenelonius, Malebranche et alii v. A. E. 1701. 1704. 1708.

(g) Hac de re ita BAELIVS Dictionaire historique et critique *voce* SPINOZA *p.* 2634. *notezque ceux qui nient l'immortalitè de l'ame et la providence, comme fai soient les Epicuriens, sont ceux, qui soutiennent qu'il faut s'attacher a la vertu a cause de son excellence, et parce qu'on trouve dans cette vie assez d'avantages a la pratique du bien moral pour n'avoir pas sujet de se plaindre.*

Digitized by Google

Is nimirum ambitioſo videtur candidus, qui non ſine humillima reuerentiae teſtificatione ei ſe iungit: res ipſius geſtas eo abſente iactantius extollit, aliorum conſilia expiſcatus ad vnguem refert, nil denique intentatum relinquit: quod ad ſuſtentandam et extimulandam ipſius ambitionem referri poſſit. Auarus virum apertum cedroque dignum iudicabit: qui nulla mercede conductus ſua ſponte inuidentiae ipſius fomenta ſuppeditat, anxiam hominis habendi cupiditatem nutrit, ingenue occaſiones aliquid lucrandi oſtendit, variaque negotia ſtrenue gerendo nullum pro labore obolum repoſcit. Contra ea voluptarius miris laudibus euehet eos, quorum conſilio atque opera in exſatianda libidine vtitur, qui collectis rumorum ventis curioſitati ipſius ſatisfaciunt, recreationi haud refragantur. Quae quidem ſententiarum diſcrepantia inde oritur: quod veriſſimum nunquam non apparet: homines ſecundum affectus magis quam principia viuere et iudicare: vnde in ea praeſertim Philoſophiae moralis parte, quae actionum genera tam communia ac ſingulis ferme horis edenda ſpectat, non ad regularum euidentiam, ac ideas veritatis adaequatas, ſed ad affectuum normam actiones ſuas atque iudicia dirigunt. Male autem generi humano conſuleretur: cum, quae quis putat, hac in re optima forent, ac pro deſideriorum, quibus aeſtuant mortales, varietate immutatus candor in tanta res inuertendi licentia ſanioribus in odium adduceretur. Hinc qui iuſtam rebus expendendis afferunt diligentiam, translata ad denotandam animi

mi puritatem candoris proprietate non prauae libidini ſed veritati congruam huius vocis corroborant notionem: ac ſi qua in re, de ambiguis quibusdam rei diuiſionibus inter ſe leuiter diſſident. Mitto obſcuram, quam magnus ille ſcholaſticae turbae Imperator Stagirita affert, veracitatis definitionem: ex recentioribus quorundam ſcriptorum ſententias commemoraturo fines nobiliſſimae virtutis arctioribus, quam par erat, cancellis circumſcripſiſſe videtur Philarethus, ſiue, quod germanum ipſius nomen eſt, Rudolphus: qui veracitate a candore diſtincta huius in exprimenda de rebus cuiusque ſuis veritate cardinem verſari autumat. Timplerus vero, et qui cum eo faciunt, in alia diſcedunt omnia, et candorem in agendis, veracitatem in dicendis poſitam ad communem quaſi fontem ſinceritatem reducunt. Huic diuiſioni haud plane fauet V. Cl. Godſched: qui veracitatem, quam et ſinceritatem vocat, late in directione ſermonis legi naturali congruenter ſitam, probitatem in actionibus defixameſſe voluit. Conſulto praeterimus alios, cum vel ex hac opinionum diſcrepantia, id, quod nobis propoſitum fuit, haud aegre conſequatur: vt temerarii haud eſſe videamur, qui ea, quae alii ad veracitatem, probitatem, atque ſinceritatem referunt, ne quem obruat diſtinctionum turba, vna candoris denominatione comprehendimus: praeſertim cum Ill. Wolfius, cuius ea in re lubentiſſime ſectam ſequimur, ſinceritate includi veracitatem non obſcure ſignificauerit. (*b*) Itaque con-

(*b*) vid. eius Thun und Laſſen §. 993.

Digitized by Google

conſtantem ac infucatam voluntatem, dicimus candorem, *verba, geſtus, et actiones ita charitati conuenienter dirigendi: vt in declaranda vera animi ſententia, et fugiendis occultioribus nocendi artibus et noſtrae et alienae felicitati ſtudeamus.* Vt in omni virtute ita et candoris colendi *infucatam*, quam ſupra *finceram* diximus, oportet eſſe voluntatem: ne qui in conſortiis familiaribus probitatis laudem (*l'air de sincerité* Galli vocant) ſuperbe affectant, aut metu, lucro, curioſitate aliisque id genus impellentibus cauſſis fere coacti, aperti et candidi apparent, infelici errore pro viris conſtanter bonis habeantur. Non ſine cauſſa adeoque hanc vocem addidimus: quod talia obſeruaſſe in omni vita vtiliſſimum eſt: vt cautius cum illis agamus, quorum animus nullis ſolidioribus fundamentis innixus, et inter varios eiusmodi affectus perpetuo fluctuans, facile flectitur: ac iis demum firmiter fidamus; quorum quaſi in venis atque medullis optima veri candoris principia inſculpta manent.

§. IV.

Remouetur eorum error, qui candorem pro ſtupore habent: ac cauſſae ad eum colendum impellentes adduntur.

Quod ſi quis igitur ex iis, quae dicta ſunt, claram ſibi de candore generatim ideam formauit: luculenter ex eadem definitione hominum errorem ac inueteratam malignitatem diiudicabit atque explodet: qui iudices nimis benigni ſolos fallaciarum opifices cautos, ſolertes, magna ac fortia ingenia eſſe exiſtimant. Quotidianus nimirum rerum vſus teſtatur, iam fallere et falli, ſeculum vocari, et ceciniſſe vt vatem, magnum illum *Euremontio* iudice ſomniatorem:

rem: dum *hoc maiores noſtri queſti ſunt*, ait, *hoc nos querimur*, NB. *hoc poſteri noſtri querentur: euerſos eſſe mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas et in omne nefas labi.* (*i*) Sed cum nec perditiſſimi mortalium quidpiam ſine ratione peruerſa quidem, at iis probata tamen ſuſcipiant: et vafri, ſubditi, ſine fide ac religione homines habent, quo ſibi nomine blandiantur. Ecquis, aiunt, in tanto perfidiae mari, vbi nuſquam tuto appellere licet, reſeratis intimis animi receſſibus ſalutem ſuam aliorum ludibrio immolabit? An praeſtat ab aliis rideri, quam nos aliorummentis infirmitate prudenter vti? cui bono miſera cupiditas? Proinde nullum ſibi alium fingunt candorem niſi aſperum, difficilem, incultum, ſubhorridum, tardi ac hebetioris ingenii ſignum, genio praeſertim ſeculi minime congruum, ita quidem, vt qui re vera ipſi operam dant, ex eorum ſententia ſtolida quadam religione optimam rei gerendae occaſionem auolare patiantur, famam ipſius qui ſaltem aucupantur, promtioribus conſiliis ac vulpinando cum vulpibus ingenioſe ſibi conſulant. (*k*) Quare cum maleferiati homines, quo plus iis ab honeſtis ne-

(*i*) SENECA *de beneficiis lib.* I. *c.* 10.

(*k*) Eleganter Spectateur *tom.* 4. *diſcours* 1. *Cette ambition dereglée eſt ſi a la mode, que la jeuneſſe neglige tout ce qui aproche de la candeur de la Franchiſe et de la vertû: Ils affectent meme de paroitre pires qu'ils ne ſont et ils temoignent par leurs actions et leurs diſcours qu'ils n'ont pas la moindre eſtime pour l'honneur et la bonne foi: pourvû qu'ils viennent a bout de leurs deſſeins ils ne ſe mettent pas en peine du reſte &c.*

Digitized by Google

negotiis otii eſt, ingenii vim peruertendis magis rebus alienis, quam ſuis optume curandis adhibere ſoleant: (*l*) ac ſeculum ſeculo his in artibus aliquid addat, hominumque augeat vrbaniorem fallendi conſuetudinem: non miramur, haec vulgaria vt plurimum obtinuiſſe candoris fata; vt ille barbaris tantum ſeculis, incultis hominum moribus conueneriť, quo autem politiores extiterunt mortales artesque limatiores, exulare debuerit. Id quod in Romanorum republica ipſisque Germanis certiſſimum appareť, quibus olim TACITVS (*m*) apertum pectus tribuit, ac gentem non aſtutam nec callidam vocat: iam eosdem aſſumta vrbanitate peregrina multum a maiorum laudibus deflexiſſe in aprico eſt. Eſt itaque haec tanta plerarumque ciuitatum calamitas, vt, cum vere candidos Diogenis lucerna quaeris, vix paucos inuenias: vnde haud aequum eſt, eos, qui adhuc ſuperſunt, dum auis inſtar rariſſimae aeſtimari debuiſſent, exſibilari imo ſtupidos videri. Latitat vero primum huius contemtus falſum in eo: quod candori omnem repugnare prudentiam exiſtimant, licet contrarium ex allata definitione facile elu-

(*l*) Ita Feſtus ipſius *aſtus* originem ex graeco ab oppido ἄστυ deduci teſtatur: in quo qui conuerſati aſſidue ſint, eos demum cautos atque acutos eſſe videri. Nam quod in ruſticos, craſſae Mineruae homines, rara aſtutiae ſuſpicio cadit: propriae atque perpetuae videntur eſſe artes vrbanis ac vrbanioris notae viris.

(*m*) *de mor. Germ. cap.* 22.

Digitized by Google

eluceſcat, qua candidum atque apertum *et ſuae et alienae felicitati ſtudere* monuimus: ad quem finem cum collineet prudentia, eandem candor non tollit aut execratur, ſed dirigit modo, ac ad vera hominum commoda applicat. Nam vt taceam, ſine hac virtute nullam omnino prudentiam eſſe, ſed Machiauellicam calliditatem atque aſtutiam: id quoq; contendere auſim; fieri non poſſe; vt mihi quis vel vnum opponat exemplum; quo vnquam candor deſideriis cuiusquam honeſtis reſtiterit. Aſtutus vero vtut ſibi apte nec ſine vtilitate ac voluptate ſua improbas alterius decipiendi machinationes excogitaſſe videatur, tamen in nil aliud, niſi in artificia actu aliis exitioſa, ſibi infamia, imo in perniciem ſuam, ſi minus praeſentem, certiſſime tamen ob ſacroſanctum talionis ius, futuram, ingenium conuertere conſueuit. Ex quo conficitur; vt quemadmodum, quanto in arte eſt melior, tanto nequior haberi ſolet aleator, ita et quo quis in excogitandis occultioribus nocendi artibus ingenioſior, iisque exequendis felicior, eo longius a vera quoque prudentia remotus ſit. Id largior, vulgo ſanctam et commiſeratione dignam haberi ſimplicitatem, quod imprudenti quadam fiducia nemini proſit, noceat vero plurimum: ſed quis vnquam talem Eretinarum mentium ſtupiditatem defendit? Dabimus vulgo, vt barbaro Potitio ſtultiorem hominem, vel lapidem verius, ſtipitem atque truncum, qui ſibi ab omnibus verba dari patiatur, ipſe vero nec flagellis excitatus dolum intendere valeat, ſimplicem atque pium nominent: ſed et hoc

nobis

Digitized by Google

nobis dari poſtulamus, crebro quidem, at male tamen hic miſceri cum virtute vitia eidem contraria, veram ſimplicitatem, quam commendant Philoſophi et cum ſinceritate eandem putant, non hebetioris ingenii ſed ſapientiae filiam eſſe: nec vnquam contrarium a diſſentientibus probari poſſe. Spretis adeoque et candide reiectis praeconceptis hiſce opinionibus, id vel maxume voluntatem noſtram, vt candori ſtudeamus, determinare videtur: et quod ipſe Deus adeo ſeuere charitatem, ac huius fructum, ſinceritatem homini iniunxit: et quod eadem arctiſſimo vinculo copulatur cum noſtra et totius conſociationis ciuilis felicitate. Quodſi enim in eo anima publicae tranquillitatis ſita eſt, vt ſuum cuique tribuatur: omniaque incerta fiunt, ſimulac a iure receſſum eſt: vel ex eo patet, candorem totius ſocietatis baſin atque palladium eſſe: quod ſine hoc ipſa iuſtitia inſonum inanem, ac peruertendi magis, prout varii affectus ſuaſerint, quam dicendi iuris ſcientiam, et argumentum transformatur declamationibus apprime idoneum. Hinc ex vero pronuntiat elegans ille morum ſpectator: *lorsquela modeſtie ne fait l'ornement eſſentiel d'unſexe et la candeur celle de l'autre, la ſocietè n'apoint de ſolidebaſe, et nous n'aurons point a l'auenir des regles certaines pour iuger ce qui eſt de la bienſeance et ce qui n'en eſt pas.* Vnde patet, quanta ſit huius virtutis neceſſitas, et quam felix ea respublica ſit, cuius principes percontari valent hominum characteres, atque iis cognitis bonos ſubdolis, aſtutis, ac hominibus nequam communi conſi-

lio praeferunt : quod hi ad altiora et non conceſſa adſpirantes , cum ſperant fore clam , ad ingenium redeunt , res nouas moliuntur , imo ipſa candoris ſimulatione ſocietati nocent : illi vero egregii et incomparabiles viri nec in maxima fraudum ſecuritate ad machinas iſtiusmodi nefandas confugiunt. Nec quem ſpes praeſentiſſima boni cuiusdam comparandi a candore dimoueat : ſiquidem bonum haud eſt, quod ſocietatem turbat, honeſtati repugnat, imo ipſa ſummi boni poſſeſſione nos priuat et exuit. Huc facit, quod noſtro iure ad vnum omnes nobiscum candide et ſincere agi volumus et poſtulamus : iam vero nemini non deflagrante affectus feruore inſulſum vi debitur, ſi quis nullum aliis, omnem ſibi fallendi libertatem eſſe putauerit, ac fecerit alteri, quod ſibi fieri nolit. Inſuper id ſibi quisque apud animum proponat velim : candidos demum vere magnanimos eſſe et ex ipſa conſtantia intimam percipere mentis voluptatem : aſtutos contra meticuloſos eſſe, ac deſperare de ſalute, ſi in regia via inceſſerint, hinc latere in inſidiis et per abruptos et maxime impeditos incedere anfractus, ac maiori metu et anxietate quam ſpe appoſita regi. Feſtiue enim PLAVTVS (*n*) *Doli non doli ſunt niſi aſtu colas. Sed malum maximum, ſi id prouenit.* Ecquis vero, cum mortaliùm nemo omnibus horis ſapiat, ſe adeo callidum eſſe gloriari poterit: vt in tanta hominum maleuolentia ac incredibili ad ſuſpicionem procliuitate , cum vel innocentia oppugnetur , nemini vel leuiſſima cuiusdam

(*n*) *Capt. Act.* II. *ſc.* I.

dam fraudis ſpecie ampliſſimam in fundum iſtorum conſiliorum inquirendi materiam ſuppeditet? (o) Ex quibus itaque omnibus colendi candoris impellentibus cauſſis id mihi firmiter euincere poſſe videor: eosdem, qui candorem erga alios incredibili licet ſolertia tollant, ſinceritatem erga ſemet ipſos (aſt quanta haec ſtupiditas eſt!) tollere: formam vero ipſam et tanquam faciem probitatis multo et amabiliorem et iucundiorem eſſe: *quae ſi oculis cerneretur, mirabiles amores, vt ait Plato, excitaret ſapientiae.*

§. V.

Candoris effectus exponuntur, ibique de ſimulatione et diſſimulatione diſpicitur.

Quae ne cui iactantius ac nimiis verborum phaleris adumbraſſe videamur: age, ipſa, quae ex definitione candoris propullulant, *officia* conſiderabimus: vt his incomparabilis tantae virtutis excellentia et planius exprimatur, et viuidius hominem affingere queat. Ac hoc quidem multos laborare vitio in aprico eſt: vt prout in illis vel ſe nimium erigunt affectus, vel ſubiacent ſeruiliter, ita in iudicando quoque vel in rigidae nimis vel iuſto remiſſioris Philoſophiae Moralis ſcyllas atque charybdin incidant, extrema,

(o) Veriſſime CROUSAZ V. Cl. Logices *parte 3. p. 1525. on a beau ſe masquer*, ait, *on a beau ſe contrefaire, ce ſoin même ſe fait ſentir, et ceux qui ſe deguiſent le plus habilement, ne ſauroient tarder long tems a êtreconnûs. Tout bien compté on ſe contraindroit moins a deuenir honnet-homme qu'a le contrefaire. L'art copie mal la nature et ſe decouvre tonjours par quelque endroit, ne fut ce qu'enoutrant ce qu'il tache d'imiter.*

trema! quae mirum quot turbas excitent. Ab his igitur vt nobis, quoad eius fieri poteſt, caueamus: hoc, quaeſtionibus mox enodandis, praemittimus axioma: NVNQVAM NEC OCCVLTANDAM NEC APERIENDAM ESSE VERITATEM, QVOTIES AD EIVS VEL DECLARATIONEM VEL RETICENTIAM IVRE PERFECTO, AVT, QVOD VOCANT IMPERFECTO TENEAMVR. QVODSI VERO NVLLA NEC EXTERNA NEC INTERNA OBLIGATIO ADSIT, VERA ANIMI SENTENTIA VT DECLARETVR: SPVRIAM SINCERITATEM ESSE, CVM QVIS RELIGIONI SIBI HABEAT, VERITATEM CELARE ALIOS. Non eſt, vt haec pluribus probentur, veri ac Pſeudo-candoris criteria: putamus enim in oculos incurrere probationem: niſi quis ſolidiora ratiocinandi fundamenta praetervectus, nec iuſta lance penſitans, quid candor ſit, vnde oriatur, ad quem finem tendat, ea, quae tradidimus, in dubium vocare coeperit. Sunt vero, quod miror, viri in quouis literarum genere exercitatiſſimi, qui Poetarum forte aurea ſecula, quibus nil deerat ad beate viuendum, ac prorſus inutile, otioſum, imo inſulſum videbatur diſquirere, quando candor veritatem efferri, quando condi iubeat, in memoriam reuocantes, de candoris effectibus nimis rigide philoſophantur, eundemque ſibi fingunt eum, vt re vera candor candore tollatur. Quod quidem patentius videre eſt, quoties de ſimulatione ac diſſimulatione, ſeu de oſtentatione rei per geſtus et actiones aliter atque veritati congruit, vberius diſquiritur: quam illi omnino candidi viri nomen et omen tol-

tollere exiſtimant (*p*) nos quod aliam foueamus opinionem ex dictis facile concluditur. Nam cum noſtra aetate deferbuerit optumus ille amoris feruor, eidemque iuſto nimis conueniat illud Ouidii

Viuitur ex rapto, non hoſpes ab hoſpite tutus,
Nec ſocer a genero. fratrum quoque gratia rara:

non certe aequum eſt, eadem hanc atque ſtatum integritatis quenquam metiri decempeda. Quanquam enim candor ipſe maneat idem ac in omne aeuum manſurus ſit, tamen in eo ad factum applicando his doli plenis temporibus cautio adhibenda eſt, et niſi adhibeatur, candor ipſe claudicat. Ibi non videbatur neceſſaria eſſe nec diſſimulatio nec ſimulatio ob maximam, quae in vnoquoque erat, et intellectus et voluntatis perfectionem, hinc facile exulabat: in hac vero malorum ſentina eandem neceſſariam eſſe ipſi diſſentientes concedunt, num iuſta ſit, nimis ſeuere dubitant. Qua quidem in re vt tot errores dilucidius cognoſcantur: *candori* opponimus *malitiam*, quam a *vitioſitate* probe diſtinguendam Cicero (*q*) *verſutam atque fallacem* vocat *nocendi rationem*. Atqui vt natura cuique inditum eſt ſemet ipſum defendendi deſiderium aduerſus eum, qui nobis vel exitium vel graue periculum iniuſte minitatur: ac idem na-

(*p*) CICERO *de officiis l.* 3. *c.* 14. vniuerſe aliud agentes aliud ſimulantes perfidos, malitioſos, ac improbos vocat: qui quidem ipſe quam lepide a doctrina publice in ſenatu mendacii accuſatus deflexerit teſtis eſt A. GELLIVS *l.* 12. *cap.* 12. N. A.

(*q*) *de Nat. Deor. L.* 3. *cap.* 30.

Digitized by Google

naturale ſtudium virtus confirmet, imo et vrgeat, vt eodem ardore id, quod quis in alterum inſontem molitur, auertamus: haec autem defenſio num actionibus et geſtibus, an verbis perficiatur, perinde ſit: ſequitur profecto; vt non is candidus dicendus ſit, qui incaute, etiamſi veritas nec iure exquiratur, nec ſalutaris futura ſit, eandem expromit, atque adeo et candori erga ſemet ipſum, et amori erga inſontem repugnat: ſed is demum verax et candidus ſit, qui non prius mentem exponit, quam conſiderate et ſuae et alienae felicitatis (hic enim finis ſinceritatis eſt) rationem habuerit. Etenim male diſſentientes ex medio videntur efficere finem, dum maiorem veritati quam felicitati venerationem deberi putant: licet ad felicitatem nati ſimus, ac huius obtinendae medium ſaltem ſit veritas, quae cum finem deſtruit, medii excellentia euaneſcit fini vbiuis cedens ac ſubordinanda. Iam vero cum toties veritas cum noſtra et aliena ſalute collidatur: quidni cum nos et alios iniuſte circumuallant pericula, liceret diſſimulatione ac ſimulatione, honeſtae inſtar defenſionis tegere animum? ſomniant enim, qui omnibus nulla diſtinctione adhibita ius intelligendae veritatis ob tacitum aliquod pactum eſſe exiſtimant, quaſi in rebus facti coniecturis altius petitis aliquid roboris dandum ſit, ac hic praeſertim, vbi de libertatis imminutione agitur, fictionibus elici deceat, me iuris quodam vinculo, quod declinamus omnes, obſtringi. Accedit, quod muta haec ſigna, geſtus atque actiones, obſcuriora ſint, ac in vtramque partem trahi queant, adeo-

adeoque is ſemetipſum circumueniſſe videatur, qui illis in ſui fauorem nimium euidentiae adſcripſit. Sed fingamus te conſulto id agere, vt veritate hoc modo obumbrata alterum in errorem coniicias: tamen in illa notione generali non acquieſcendum, nec poſitiua haec actus idea cum relatione, quam habet ad regulam confundenda erit: (r) id potius indagari decet; quo iure quaue iniuria alteri hunc errorem obtruſeris. Fac itaque te aliquid audiuiſſe, quod nolles ab altero dictum, primum ira accendetur, ac interior affectus nil niſi vindictam ſuadebit, ſed quod forte vides, vanam fore ſine viribus iram, quidni liceret, ne ludibrio ſis, ſimulare non immutatam animi voluptatem, iramque, ne et in actum erumpat, et oculis flagrantibus, genis, membrisque omnibus prodatur, reprimendo diſſimulare? Ac ſunt innumerabilia ferme exempla, in quibus praeſtat ac decet iniuſtum candoris mei oppugnatorem ita falli, quam me et alios meis perire indiciis. Ipſa adeo veritas occulte *ſaeuire* vetat, *prodeſſe* remittit. Nec rationem, qui diſſentiunt, adducere poterunt ſufficientem: quae nos ei reſiſtere nolit, qui, dum nullo iure veritatem ex nobis expiſcari deſiderat, nosmet ipſos noſtro aliorumque exitio vult eſſe inſtrumentum: contra ea cauſſa rectiſſime impellens allegari poterit, charitas ipſa adeoque et ſinceritas: quae ſimulationem, quatenus nullum ius oppugnat, non ſolum permittit, verum etiam exigit. Adeo candorem ipſum ac ius alterius vel perfectum vel imperfectum multi violabunt:

(r) Haec optime diſtinxit Lock. de Intell. H. c. 28. §. 16.

Digitized by Google

labunt: niſi variis in negotiis ad haec ſalutis expediendae media confugerint. Prudenter itaque et honeſte ad pacem conciliandam ablegati, licet ad incitas ferme redacta principis potentia nihil magis in votis habeant, quam vt primo quoque tempore bellum componatur, tamen ſpem infractam, reſiſtendo acriter tumidis hoſtium poſtulationibus, ſimulare ſolent. Religioſum quidem comiti cuidam viſum fuiſſe ſcio, ſe vt legatum tenorem arcani, quod vocant, mandati diſſimulare iuſſum: ſed rationibus rite ſubductis, cuius quaeſo iuris, cuius virtutis eſt, hoſti nondum reconciliato tantum tribui, vt exhibito hocce mandato res patriae inclinatas reueles, adeoque hanc iſtius faucibus magis magisq; obiicias? Quin laudabilem potius contendo hac in re ſimulationem eſſe, qua prouident legati, ne quid maius detrimenti respublica capiat. Hinc ex eodem capite ſapientiſſimi inſtar Salomonis ſaepenumero iudices aliud ſentiunt, atque variis ſignis prae ſe ferunt, eum quidem in finem, vt veritatem multis adhuc tenebris inuolutam eruant. Ponamus enim eſſe quempiam reum criminis atrocioris inſimulatum, ac eo vsque ſaltem indiciis gravatum, vt ad eum conuincendum opus demum ſit verbali vel reali carnificis territione, quis non illum fatuum pronuntiaret iudicem, qui tenorem huius ſententiae inquiſito publicaret? certe hic pro tali nuntio iudici gratias ageret maximas, et non eo ſe animo eſſe affirmaret, vt verbis terreri queat. Hinc iudex, ſi ſapit, ſimulabit inſtare equuleum, in promtu eſſe fidiculas, imminere exquiſitos cruciatus, atque his

Digitized by Google

his demum phaleris veritatem extorquere conabitur. Idem dictum esto, quando quis in caussa ciuili iudex, siue ecclesiasticus ille sit, siue quem vocant, secularis, iurisiurandi purgatorii praestationem comminari solet, multa de graui poena periurii praefatur, atque loco se mouet, quasi iam praestandum sit iusiurandum illud, licet id re vera praestari nunquam voluerit, sed velle se tantum simulauerit, prout id ipsum antea concluſum fuerat. Nec male Solon *quo et tutior eius vita esset, et plus aliquando reipublicae prodesset*, furorem simulauit: Brutus crudelitatem Tarquinii extimescens *sapientem stulti imitatorem* egit. Proinde Calouius vehementiori Zelo quam rationum pondere Dauidem incusauit, quod cum in aula Achis regia versaretur, furere se simulauerit: siquidem pessime illi vitio vertitur: quod iis locum nocendi minus dederit, qui summum prope exitium ipsi minitabantur, aut alii furorem ridere coeperint, quae summa Dauidis prudentia erat: vtut non desint, qui veram non fictam fuisse insaniam asserunt. (s)Deniq;adduci haud possumus,vt frequentem istam a perfido licet ac periuro rege profectam omnino ad orcum damnemus sententiam, *eum qui nesciat simulare, nescire imperare*: quanquam id cuique facile largiamur, eandem adsertionem ab iis, qui honorificum Politicorum nomen ementiuntur, ad tegenda dominationis flagitia passim adhiberi. Quicquid vero huius rei sit, cum sanctissimus seruator nos iusserit

(s) V. SAVRIN *discours historiques et critiques tom. 4. disc. 34. p. 399.*

Digitized by Google

ſerit columbarum inſtar eſſe ſine aſtutia, ac ſerpentinam ſimul imitari prudentiam, neſcio an principibus, quorum externa felicitas toties in periculum adducitur, eiusdem prudentiae copia atque adeo ſimulandi ac diſſimulandi libertas iure denegetur. Sed quod toties in vita quotidiana haec veritatis vela nil niſi infelices malitiae foetus eſſe apparet: forte non immerito cuidam impia ingreſſi videremur rationis elementa: niſi vel maxume diſtinguendum moneremus honeſtam inter ac nefariam diſſimulationem aeque ac ſimulationem. Illius ob tot rationes propugnationem ſuſcepimus, hanc defendere nunquam animus fuit: quod ius pacemque externam turbat, verſutam atque fallacem nocendi rationem alit, et efficit: vt in hos tectos, obſcuros, occultos nigri pectoris receſſus penetrare nequeas: licet tibi ius ſit veritatis clare, diſtincte, ſine vllis tenebris atq; cucullis intelligendae. Huius generis propudioſa fuit Henrici Ducis Brunovicenſis ſimulatio, qua vxori et aliis perſuaſit Euam Trottiam dimiſſam, diem obiiſſe ſupremum: dum eius aſſimilatum funus efferri, ac inſigni religionis contemtu atque vanitate ſolitas pro mortuae, ita enim fingebatur, ſalute preces ſuſcipi iuſſit: licet ea interea temporis viua ac adeo incolumis Stauffenbergi moraretur: vt complures ex illa liberos ſuſcipere potuerit: quamobrem etiam cognati dictae Euae Trottiae interdictum de libero homine exhibendo in Camera Imperiali iure meritoq; petierunt. Peſſima quoq; illa eſt animi larua quadam tegendi ratio: ſi quis erga eum ſe optume animatum

matum esse prae se fert, eius felicitate gaudet, eius dolore subdole dolet, eum suauiter oculis excipit, eum blande amplexatur: cui clanculum insidias struit, aut Iudae instar atque Ioabi exitium minitatur. Felix, qui huic fuco mature diffidit ac cum Martiali exclamare valet:

Decipies alios verbis vultuque benigno
Nam mihi iam notus dissimulator eris. (t)

Sed rara haec est felicitas, adeo artificiosa et decipiendis hominibus idonea est ista beneuolentiae simulatio: de quo neminem dubitare sinet ipsius Richelii, callidi istius simulationum artificis, confessio, qui haec aliquando ad Fabertum scripsit: (u) *dans le poste, ou vous etes, il vous est facile de connoitre vos amis et vos ennemis. Aucun deguisement ne vous empeche de les discerner: mais a l'egard des miens, dans la place, que j'occupe, je ne puis penetrer leurs sentimens, ils me tiennent tous le même langage, ils me font tous la Cour avec le même empressement, et ceux qui voudroient me detruire me donnent autant de marques d'amitiè que ceux qui sont veritablement attachez a mes interets.* Solet enim id plerumque euenire iis, qui magnum ac primum post principem locum tenent: vt eorum quidem

Ingentem foribus domus alta superbis
Mane salutantum totis vomat aedibus vndam,

sed pauci eos, nomine licet omnes, amico adeant animo, plerique hostili. Eadem simulata captum animi-

(t) *Lib. 5. epigr. 32.*
(u) *v. l'histoire du Marechal de Fabert p. 53.*

micitia Datamem, virum, qui multos consilio, neminem perfidia ceperat, describit Nepos: aeque ac nemini ignotum est, Carolum V. Imp. capto 1527. Pontifice Maximo non solum mirifice suum dissimulasse gaudium, verum etiam tantum amorem erga captiuum simulasse, vt pro eius, quem ipse tenebat, libertate vota publice suscipi iusserit. Nec praetermittenda est Latiaris, Catonis, Rufi, et Opsii simulatio, qui artificio nunquam satis detestando Sabinum specie coniunctioris amicitiae deceperunt, eiusque vitam immolarunt Seiano: vt hoc scelere viam sibi panderent ad consulatum. Sed idem, qui haec commemorat, grauissimus scriptor, (*v*) mox addit: (*x*) Latinium Latiniarem, qui praecipuus olim circumueniendi Sabini fuerat, *tunc luendae poenae primum fuisse.* Itaque vt bene Poeta monet:

Tuta frequensque via est per amicum fallere nomen,

sed merito idem statim subiungit:

Tuta frequensque licet sit via, crimen habet.

§. VI.

Agit de falsiloquio et mendacio.

Quemadmodum vero antiqua fide ac probitate viri, vt diximus, fronte, oculis, superciliis, et actionibus ipsis eos se praebent, vti inter bonos bene agi oportet, imo nec tum, quando aliud sentiunt, aliud sentire videntur, a vero candore latum vnguem recedunt: ita et eadem, quae supra posuimus, verae ac spuriae sinceritatis criteria locum habent, quoties quae-

(*v*) TACITVS *Annal. l. 4. cap. 68.*
(*x*) *Annal. l. 6. cap. 4.*

Digitized by Google

quaeritur, quatenus ipſo ſermone, ſigno animi clariore, veritatem obſcurare liceat? Id quidem nemo inficias ire poterit, homines apparentibus vtplurimum bonis in deuia abreptos eas ſaepe inſontibus plagas tendere periculoſas: vt vel veritas in periculum adducatur, vel iis ipſis magna quaedam calamitas extimeſcenda ſit: ſed num his malis falſa loquendo mederi queant, maioris ac tantae inter eruditos diſſenſionis eſt: vt SAVRINVS ingenue fateatur, (y) *que c'eſt un cas de conſcience ſi difficile, qu'il partage les plus grands genies.* Sunt enim bene multi, qui cum Auguſtino eum *ſemetipſum turpiter decipere* putant, qui ſe *honeſtum* arbitretur *deceptorem aliorum*, (z) aut cum Placetto aſſerunt, vel ſi totum genus humanum periclitaretur, illud commento haud ſeruandum eſſe. Contra ea non deerunt alii, Philoſophi, ICti, imo Theologi quoque, qui mitiori et ſolidiori ratione ea demum ſpectanda eſſe contendunt, quae in vita vſuque hominum ſint, non quæ fingantur aut optentur, ac proinde Placetti adſertionem Platonis rempublicam olere, et tum demum valituram eſſe, cum in toto terrarum orbe perfecti amoris regnatura ſit abundantia. Horum in ſententiam et nos ea de cauſſa imus, quod haec indubitato nititur fundamento regula, eo mentem noſtram dirigen-

(y) *Diſcours hiſtoriques et critiques tom. cit. p. 346.*

(z) Neminem fugit acerrime hunc Hipponenſium Praeſulem contra mendacium pugnaſſe, ſed videtur tamen eandem doctrinam poſtea libris retractionum improbaſſe. *l. 1. retract. cap. 27.*

Digitized by Google

rigendam esse, vt nihil non moliamur, quod charitati congruum, adeoque ad eundem finem mentis aperiendae instrumentum, sermonem nimirum, accommodandum esse: ne quem eo laedamus, perficiamus vero, et insignem quamque peccandi occasionem praescindamus. Iam vero cum saepenumero accidat, vt huic fini non nisi commento quodam satisfieri queat, quid quaeso argumenti est, cur omnis omnino veritatis immutatio candido viro indigna haberetur? Quodsi enim omnis fictio in se ac sua natura illicita est, eadem oportet vel me ipsum, vel proximum, vel Deum laedi. Atqui is eum candorem, quem sibimetipsi debet, non violat, qui tum commento quodam vtitur, quando salus ipsius ab improbo quodam ac malitioso homine in discrimen affertur, atque ideo nulla eum lex de vero dicendo obligat, quoniam veritate sibimetipsi necem consciscceret. Nec proximus laeditur, quando, cum nullo iure veritatem exquirit, fallitur: quanquam in eo maximum cuiuscunque fictionis crimen dissentientes collocent, quod ea alter in errorem coniiciatur. (*a*) Etenim cum omni iure armis, ac vel cum internecione alterius vitam, libertatem, famam, ac reliqua mea bona externa tueri possim, nonne claudicans nimium argumentandi ratio est, ius mihi quidem esse alterum in exitium, non vero in errorem impellendi? Ac velim vlterius consideres, nonne is grauissime iniquus sit, ac pro maleficii caussa morali merito habeatur, qui cum sicario quaeritanti, vbi-

(*a*) V. SAVRIN. *l. c. p.* 334.

vbinam ille sit mox pugione percutiendus? falsa persuadere debuisset, atque sic seruare insontis vitam, homini improbissimo veritatem aperte enuntiat: quasi maiorem sicario quam innocenti sinceritatem deberet. Ad haec nonne insulsa foret et risu omnium excipienda latronis cuiusdam ratiocinatio? qua te hominem fallacem et omni candore exutum increpat, quod ipsi tum verba dederis, cum loculos tuos sibi tradi postulauerit, ac eo demum tempore in errorem coniectus fuerit, quo omnium minime errare, sed rite ac recte calculos ac nummos tuos putare voluerit. Quid? quod generatim hoc dictum sit: vt docta quaedam est ignorantia, ita et error datur salutaris, cuius beneficio ipsemet refrigerato desiderii feruore furiosus tribuet, quod, cum impetum et iniuste et incaute in quendam facere tentasset, gladii callide denegata copia, vel alio quoque commento cohibitus ac ad saniora reuocatus fuerit consilia. At enim, inquies, vtut aliquando falsis rerum narrationibus nec sinceritas erga temetipsum nec eadem erga alios laedi videatur, tamen immortale Dei numen laeditur, quod rigidam nobis praescripsit veri custodiam, quod nos iussit cane peius ac angue falsa fugere, quod ipsum perfecte verum est, adeoque et veritatem in hoc terrarum orbe sanctissimum voluit esse instiruturum. Verum ad haec paucis respondeo, Deum esse verum quidem eundem vero et bonum, atq; adeo cum constanter velit, nec salva bonitate sua velle aliter possit, quam vt genus humanum ad immortalitatis cyclum perueniat, hoc quoq;

Digitized by Google

ipſius ſanctiſſimae voluntati conſentaneum eſſe: non vt veritatem expromendo arma, vel nos vel alios inſontes opprimendi nil nisi ſcelus anhelantibus, ipſimet tradamus, ſed vt his peccatis, huic iniuriae etiam commento reſiſtamus. Num enim veroſimile eſt, Deum veritatis corruptioni magis, quam ipſi ſceleri iraſci, quod hoc medio ipſum impeditur? Nam qui perpetuo ſanctam eamque inſitam veritatis nobilitatem vrgent, atque ex eo capite omne commentum reſpuunt: eos praeciſionibus mentis inhaerere, ac declamatoribus magis, quam ita, vti par eſt, ratiocinantibus ſimiliores iudico: adeo nobis nulla neceſſaria ac ſufficienti ratione corroborari videtur: quod haec demum fuerit voluntatis diuinae ſumma, vt, quoties inter ſe colliduntur veritatis ac aequitatis regulae, nunquam veritas adulteretur, licet hoc modo nos omnium optume tueri ac defendere poſſimus, atque ſic id demum iuſtum, aequum, ac ſalutare efficiatur, non quod felicitati generis humani, ſed quod veritati ſolummodo conſentaneum. Nec mea quidem ſententia maximi ponderis eſt Bernhardi (*b*) adſertio, qua in ſe illicitum eſſe commentum omne contendit, quod in S. Scriptura nulla fictionum conceſſio appareat: nobis enim ſufficit, omnem falſa proferendi rationem in ſacroſancto codice, licet minus diſertis verbis conceſſam, tamen nec prohibitam, adeoque tam diu de iure liciti eſſe, donec quis prohibitionem dilucide oſtenderit. Quare cum

(*b*) Scripſit tract. *ſur l'excellence de la religion*, illique adiecta eſt diſſert. *ſur le menſonge.*

cum satis hanc causſam euiciſſe videamur: iam nobis oſtendendum eſt, quousque falſa dicere pro varia relatione et liceat et prohibeatur, quod quidem facili negotio oſtendi poteſt, modo communis menſurae, ſeu iuſtitiae vel expletricis vel attributricis ratio habita fuerit. Ne vero ſcelus et virtus eodem nomine contineantur, aut anceps vocis ſignificatio captioſis locum det diſputationibus, (c) dudum ab eruditis comprobata eſt mendacium inter atque falſiloquium diſtinctio; ita quidem, vt mendacium omnino reiiciatur legibus vtpote omnibus, iuri atque virtuti contrarium, falſiloquium vero ſtrictim ſic dictum in candidum quoque virum conuenire adfirmetur: quoniam nullius mali animi praeſidium eſt, nec eum in finem veritatem corrumpit, vt quis laedatur, ſed vt noſtra aliorumque ſalus ab iniuſtis quibusque molitionibus incolumis conſeruetur. Ex quibus principiis facili negotio concluditur; cum quis hoſtem falſis rumoribus circumduxerit, aut plebi

(c) Eſt nimirum vel maxime dubia τῦ mendacii natura: mox turpe ac nefarium, mox *ſalubre* audit v. Liuius *l. 2. c. 64.* Ciceroni pro Ligario *honeſtum et miſericors eſt*, nec in tanto ciuis diſcrimine *coarguendum.* Tacitus 4. *hiſt. cap. 50. egregium mendacium* appellat, quo ſeruus ſe Piſonem, cuius vitae inſidiae ſtruebantur, profeſſus obtruncatus fuit. Horatius *Od. 3. 33. ſplendide mendacem* vocat Hypermneſtram. Ne itaque tanta huius vocis ambiguitas λογομαχίαις, quod fit, anſam praebeat: merito trita illa mendacium inter iocoſum, officioſum, et pernicioſum diſtinctio exploditur.

Digitized by Google

bi ſubinde timidae ac tumidae victoria quadam confi-
cta animum addiderit, id ipſum ac plura alia falſilo-
quiis annumeranda eſſe exempla: quae alias ad ſtrata-
gemata dolumque bonum referri ſolent ac pertinent.
Id vero grauioribus adhuc dubiis vrgetur, num ex-
cuſari queant Belgici nautae in Iaponiam delati, cum
ad quaeſtionem Iaponenſium, an Chriſtiani ſint?
reſpondent, ſe non Chriſtianos eſſe, ſed Batauos. Ac
lubens fateor, ſi haec eorum mens foret, vt Chri-
ſtum abnegare mallent, quam ſuo deeſſe quaeſtui,
tale mendacium a primorum Chriſtianorum ſince-
ritate, ac ſacrae ſcripturae praeceptis plane alienum,
nunquam nec excuſandum eſſe, nec excuſari poſſe.
Quodſi vero ad formulam, *vti rogas*, et notiones e-
ius animo cum quo verſamur, infixas reſponſum ac-
commodare licet, non plane impii variis viris do-
ctis videntur eſſe iſti nautae, cum rogati, an talia
monſtra ſint, quibus ſub chriſtianiſmi ac religionis
ſacro nomine ſcelus anhelare, reipublicae perniciem
moliri, ac regum iura oppugnare ſolemne ſit, ſe ea
minime gentium eſſe reſpondent. Quam quidem
quaeſtionem ſubdifficilem excipiat altera, num fal-
ſiloquium an mendacium ſit, quando quis ad hoſtem
confugit, eidemque Zopyri inſtar ſe in patria male
habitum, omnique et ſecuritate et dignitate orba-
tum, iam iniuriae vindicandae ac patriae opprimen-
dae cupiditate flagrare falſo perſuadet, eum quidem
in finem, vt, quid hoſtis conſilii captet, cum ſuis
mature communicet, aut alio quoque modo patriae
ſuccurrat, licet cum detrimento, cuius? nullius niſi
hoſtis.

Digitized by Google

hoſtis. Ablegauit eiusmodi exploratores Henricus VII. Rex Angliae ad recuperandam reipublicae ſalutem, ac corroborandum imperium ſuum; et vt eo citius iidem ſibi fidem praeſtruerent, eos publice inter hoſtes poſitos nominatim more tum temporis vſitato, in Diui Pauli templo diris deuoueri iuſſit. (*d*) Iam non facienda, ais, mala ſunt, vt inde eueniant bona; ſed nolim inconſiderate nimis quid pro illicito habeas, cum de eo adhuc Eridos pomo certemus, in eaque verſemur petitione principii, num malum ſit, quod non faciendum aſſeris. Mea vero ſi quid valuerit ſententia, cum maxima ſit erga patriam obligatio, non immerito iſti ablegati patriam iniuſte afflictam hoc dolo ſubleuarunt, propterea quod hoſtis, ſeu gentium latro ob ius defenſionis proprie laedi nequit, amicitiae vero leges qui hoc facto violatas dolent, abſtractionibus mentis nimium delectantur, ac ibi amicitiam quaerunt et exigunt, vbi iure quidem nulla eſſe poterat. Id quoque ex iisdem patet principiis, quatenus aequiuocationibus loci aliquid dari queat: eſt enim haec vox ἐκ τῶν μέσων, adeoq; pro varietate relationis, niſi certa quaedam fundamenta poſueris, iisdem argumentis et laudari et culpari poteſt. Ea nimirum ambigua, quae ex falſiloquio tanquam ex fonte profluunt, cum nulla vtpote cuiusquam laeſione coniuncta, haud Catoniana quadam ſeueritate damnanda eſſe videntur: vnde quid de ingenioſa ea, acuta, atque faceta vocum amphibolia, quam

(*d*) v. Baco de Verulamio in vita eiusdem Regis p. m. 29. et 210.

quam Galli *bons mots*, latini bona dicta appellant, ſentiendum ſit, ſua ſponte elucet: qualia de Thuani ſorore aduerſus Richelium, et de legato quodam Hiſpanico Henrici IV. Galliae Regis in Italia progreſſibus, quos iactantius minabatur, terminum in Sicilia ac Veſperarum quidem tempore fore affirmante praedicantur, quale etiam ex tot aliis erat illius, qui Aeneam cum Nerone comparans cecinit: (*e*)

Quis neget Aeneae magna de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.

Quodſi igitur, vt Grammondus ait, optima quaeque ſalutis expediendae in rege ratio eſt: ac Ludouicus XIII. Rex Galliae ſuo iure in Magnum Priorem, eiusdemque fratrem Ducem Vindonicenſem animadvertere potuit, non immerito eosdem, vt iuſtitiae ſatisfieri poſſet, tortuoſa quadam reſponſione illaqueauit. (*f*) Miſſis vero aliis, quos multi in doctrina de falſiloquio mouere ſolent, ſcrupulis, Gerbetti potius variis caſibus conſcientiae accenſendis, quam ſolidiori diſquiſitione dignis, (*g*) id ſaltem monuiſſe ſuffi-

(*e*) SVETONIVS in Nerone *cap.* 30.

(*f*) Rem geſtam ita narrat Grammondus *hiſt. lib.* 16. *ad annum* 1626. *Rex qui et magno Priori vincula deſtinabat, in haec eadem verba reſpondiſſe fertur: fidem adigo vnam tibi cum fratre, vnam illi tecum fortunam fore, neque plus habere illum, quod timeat, quam ipſe habes.*

(*g*) Ita Ioncourtius diſquirit (conf. *Iournal Literaire Ao.* 1713. *p.* 140.) num te domi eſſe per ſeruum negare liceat, cum domi es, idque mendacium eſſe affirmat, grauisque eos erroris poſtulat, qui leue hoc crimen eſſe

Digitized by Google

ſufficiat, peruerſe ratiocinari eos, qui, quod nullius in perniciem falſa loquantur, ſe violati candoris haud accuſandos eſſe exiſtimant, quanquam vix dentes diſtendant, ac os aperiant, quin aliqua inde impoſtura effluat. Sed nec candidi viri nomine dignus eſt, nec pro eo ab aliis habetur ventoſus homo: cuius et fama et fides adeo exoleſcit, vt vera licet dixerit, tamen falſa dixiſſe videatur, atque adeo, quod prudentiſſime Ageſilaus in bello effecit, *non fallendo fallat.* Talis enim licet

per ſanctum iuratus dicat Oſirim
Credite, non ludo, crudeles tollite claudum,
Quaere peregrinum vicinia rauca reclamat.

Sane non ita comparata eſt falſiloquiorum ratio, vt bonum hoc extraordinarium in malum aliquod ordinarium transmutari deceat, potius iis medicinae inſtar vtendum eſt, quae niſi recuperandae ſanitatis gratia ſumatur, nocere ſolet. Niſi vero cum Stoicis quaelibet vitia aequalia eſſe defendis, maioris malitiae ipſa mendacia eſſe mecum aſſeres: in quae demum quadrat, quod vel ex recta ratione, vel ex S. Scriptura tanto orationis fulmine contra quaeuis com-

eſſe exiſtiment, quod ipſi erga Deum obedientiae refragetur. Velim vero Vir Doct. ſibi apud animum propoſuiſſet, ſi qui equites Ciceronis cuiusdam interficiendi cauſſa mane ſalutatum venerint (v. Ciceron. *Catilin. or. 2. c. 4*)num veroſimile ſit, eum obedientiae erga Deum refragari, qui horum ſceleſtas manus parua hac declinatione, tali nimirum falſiloquio, effugerit.

Digitized by Google

commenta afferri ſolet, a quibus adeo pleraeque barbarae licet, gentes vel maxume abhorruerunt. Deſtruunt enim incolumitatem inſontium, eoque ipſo ſanctum Dei Numen ſatis quidem offendunt: ſed ea malitia periuriis inſuper augeri et corroborari ſolet, vt nil monſtro ſimilius cuidam viſum fuerit, quam perditiſſimos id genus homines, dum mentiuntur et peierant, eodem facinore Deo, quaſi haec heroica quaepiam actio foret, apertiſſime inſultare, hominum vero vim extimeſcere, ac ideo ad talia confugere latibula. Nihilo ſecius permulti eo ingenio ſunt, vt in leuioris momenti rebus hoc ſcelus omnium maxime auerſentur, cum vero eos ſpes quaedam viuidius adfecerit, ipſa adeo iactitata fidelitas euaneſcat, ac improbitatis ſtimulis ſuperetur. Quodſi vero ſola bona ſunt, quae honeſta, nec ius potentia et vtilitate metiendum eſt, multum hoc in genere ex iniquo traxit clauſula, quam GaſtonDux Aurelianenſis literis ad Richelium, quem odio proſequebatur infenſiſſimo, datis adiecit: *je prens Dieu a temoin de la ſinceritè, avec la quelle je vous fai cette proteſtation et celle d'etre toute ma vie le plus fidele de tous vos amis.* Haec commemorans Vaſſor (*b*) ſtatim non ſine emphaſi addit: *C'eſt ainſi, que les princes du premier ſang ne font aucun ſcrupule, d'ajouter le parjure au menſonge.* Idem de Cronwello, iniuſtiſſimo Angliae protectore, teſtantur Anglicarum rerum monumenta, qui quidem omni ex parte fortuna quam fide clarior mendacio quo-

(*b*) *Ad annum* 1643. *p.* 599.

quodam inaudito ſe in dies pro incolumitate Caroli I. preces ſuſcipere affirmauit, licet iam tum imperii cupiditate flagrans regis perdendi conſilia inerit.(*i*) Nec dubitamus, ſaluo ſuo cuique iudicio huic mendaciorum adſcribere numero: quando quis criminis cuiusdam accuſatus legitimas magiſtratus quaeſtiones eludit, rem geſtam negat, et ſic demum honeſte ſuis ſemet rationibus proſpicere exiſtimat: quicquid etiam magni in republica literaria viri, et ex his Puffendorfius, (*k*) Gundlingius (*l*) in contrariam afferant. Eſt enim immotum axioma: vbi ius, ibi ex altera parte obligatio: et quae in contrariam ſententiam Gundlingius affert exempla, non ipſius adſertum, ſed factum probant, et praecipitata hominum conſilia. Iam vero vt in ſacris legimus, (*m*) Deum colas et confitearis, ita et, quod vicariae Dei poteſtati ius rogandi, nobis quoque ex rei veritate animique ſententia reſpondendi neceſſitas tribuenda venit. Nam ſi effrenati, quos vrgent, naturae impulſus ἀδύνατον τὶ efficerent, et excuſationem afferrent ſceleri validam: nec retineri aut puniri poſſet, qui appetitione quadam enormi agitur: ſed flagitii poſtulatus ad nobile illud principium recurreret: fieri non potuiſſe; vt cupiditatibus ſuis reſtiterit. (*n*) Hinc vincenda ſunt naturae ſtudia recta ratione, quae ne-

(*i*) Batei elenchus motuum in Anglia *part. I.*
(*k*) *Iure Nat. et Gentium l. 4. c. 26. §. 1.*
(*l*) *Iur. Naturae cap. 16. §. 15. et cap. 36. §. 43. ſeqq.*
(*m*) *Ioſuae cap. 7, 20.*
(*n*) Forte ex eodem capite defendi poſſet Ludouici Landgrauii

nemini ignoſcit, qui tali mendacio ſanguinem ſuum redemtum voluit, ſuadet potius et poſtulat: vt is qui in ius vocatus eſt, veritatem candide prius profiteatur, quam neceſſe ſit, eam vi aut tormentis extorqueri. Hinc et ii, qui ſuſpenſa ſemper, ac quo ducantur, inclinatura reſpondent, et tum temporis non aperiunt ambages, cum alteri aperte veri copiam facere debuiſſent, peſſime id genus nefariis aequiuocationibus ius alterius vel connatum vel acquiſitum violant. Cum M. Tullius aliquando Octauianum Caeſarem ornandum *tollendumq;* (o) dixiſſet, hic ira exacerbatus ſe non permiſſurum reſpondit, vt *tolli* poſſet, ideoque Tullio ad eum non ſine copioſa officiorum oſtentatione venienti acutiſſime reſpondit:

grauii Thuringiae facinus, quod ita ex Dreſſero refert Limnaeus *ad l. 4. cap. 8. n. 238. Mons, in quo ſita eſt arx, Domini de Franckenſtein fuit, ſed cum in eo venaretur Landgranius Ludouicus, placebat ei adeo, vt arcis ibi aedificandae incenderetur cupiditate. Vt autem dominium illius ad ſe transferre aliqua iuris ſpecie poſſet: nocturno tempore terram ex ſua ditione finitima in eum portari iuſſit, vt in ſolo ſuo aedificare videretur. Hoc enim modo ſolum alienum facere ſuum conatus eſt. Dum aedificauit, accuſatus eſt a vero ſoli Domino coram imperio. Is vero reſpondit, ſe aedificare in ſolo ſuo, idque ſe confirmaturum iure ſpopondit. Iuſſus igitur eſt teſtibus idoneis duodecim, vel iureiurando rem probare. Inuenit ſtatim duodecim equeſtris ordinis homines, qui cum eo conſcenſo monte enſes ſuos in terram, quae illuc congeſta erat transfigebant. Iurarunt igitur ſe in terram Landgravii ſuos condidiſſe gladios.*

(o) conf. Vir multi iuga eruditione cel. Funccius in nunquam ſatis laudando *tr. de virili aetate L. L. part. I. cap. 2. p. 136.*

Digitized by Google

ſpondit: *quod iam amicorum nouisſimus* ſe ſalutaret. Praeſertim vero ad hanc mendaciorum ſtirpem referendum eſt horrendum illud portentum calumnia, qua qui alios, non cruda quadam et agreſti ratione, ſed vrbanius atque facetius proſcindunt tanta haec interunt ſolertia, tantis haec flectunt et moderantur artificiis: vt non ſolum pro tam mendaci hominum genere non agnoſcantur, verum etiam fidelitatis laude ac aliorum adhuc beneuolentia floreant. Quanquam enim egregie ex Menandro Stobaeus: *quisquis eſt*, ait, *qui calumniis ſtatim fidem habet, aut moribus improbis deditus eſt. aut ingenium prorſus puerile habet*: tamen tam callide huius farinae ſodales naturali hominum impotentia abutuntur: vt prius calumniae probabilitas in animis altas radices egerit, quam de illius veritate quisquam dubitare coeperit, prius damnum manibus atque oculis deprehendatur, quam de cauſſa ipſius vel cogitetur. Accuſant enim alios grauioris criminis, et ſimul eosdem, leuiter licet, defendunt, non, quod confingunt, ſuo nomine circumferunt, aut pro veritate certiſſima venditant, ſed ad ſe nec ſine dolore ſuo delatum eſſe teſtantur, imo Coepio Criſpinus (*) eo vſque progreſſus fuit, vt ea vitia, quibus maxime Tiberius deformabatur, liberrime huic exprobrauerit, non ſuo, ſed Marcelli nomine, quod quidem, vt bene

(*) v. Tacit. *Ann. l.* 1. *c.* 74. ibidemq; tradit, *Coepionis exemplum ſecutos ex pauperibus factos diuites, ex contemtis metuendos, perniciem aliis ac poſtremo ſibi inueniſſe.* v. eundem *Annal.* 14. *c.* 8.

Tacitus *fuit ineuitabile crimen, cum ex moribus principis foedisſima deligeret accuſator, obiectaretque reo. Nam quia vera erant, etiam dicta credebantur.* Eſt et quidam per laudes calumniandi modus,(*p*) quo id genus homines aliis inuidiam conflare ſatagunt et reuera conflant, qui et (infinitae enim ſunt huius monſtri formae) ipſa adeo amoris ſui teſtificatione alios in ſuſpicionem violatae erga quosdam probitatis, quae capitalis et exitioſa ſolet eſſe accuſatio, adducere ſolent. (*q*) Ac talibus quidem artificiis facillime *gratiam fingunt in odio, inſtruunt inter concordantes odia, apud vtrumque gratiam quaerunt*, (*r*) ita quidem, vt alter cum altero committatur ſine vlla iuſta vel vera iraſcendi cauſſa. Patet igitur abunde, eo ſceleſtiorem, quo conſiderata ea magis ac radicata eſt, calumniatorum malitiam merito iudicari, ipſamque adeo calumniam, vel quod ſatis erat dixiſſe, triſtem mendacii foetum eſſe.

§. VII.

(*p*) conf. Tacitus *hiſt. l.* 64.

(*q*) Hoc aſtu aduerſus Periclem Spartani, Iuſtino teſte *l.* 3. *c.* 19. aduerſus Fabium Hannibal. (conf. Liuius *l.* 22. *c.* 23.) vſi fuere.

(*r*) Eam ſolemnem in Philippo Maced. conſuetudinem fuiſſe, iisdem verbis tradit Iuſtinus *l.* 9. *c.* 8. cuius exemplum nobis argumento eſſe poterit, integrarum rerumpublicarum felicitatem id genus calumniis turbari et diſperdi poſſe. Add. calumniae cuiusdam callidiſſimae exemplum, quod habet Verulamius Serm. Fid. *cap.* 24. *p. m.* 109. *et v. la bibliotheque des Dames c. de la mediſance et de la cenſure.*

Digitized by Google

§. VII.

Verum enim vero cum ex iis, quae generatim de variis iisque nefariis animi tegendi cucullis ipſoq; mendacio attulimus, facile ad intelligendum ſit: quantopere pectus aliquod ſinuoſum et periculoſis vndiq; refertum ſyrtibus cum definitione candoris pugnet: conſequens eſt, vt, quicquid dolis malis, deſtinatis alterius circumueniendi machinationibus, artificiis, ac, quacunque demum denominatione comprehendantur, id genus portentis ſimile fuerit, quanquam ea tibi perſuaſeris, (vt de ſemetipſo ſibi quisque optima pollicetur) falſiloquia eſſe, quae re vera mendacia ſunt, ab iis inquam omnibus declinandum eſſe: quoties quis genuina conſilia, incorrupta de rebus ſuis iudicia, ac, vt paucis complectar, intimam ſententiae tuae declarationem a te exigendi, iure vel perfecto vel imperfecto gaudet. Omnibus enim non actiones hominis ſed humanas ſuſcepturis incomparabile illud vitae praeceptum ob oculos verſari debet, viue ſocialiter, ex quo, qui veram, non ſimulatam profitentur philoſophiam, neceſſario concludunt: dum probi conſultoris atque adeo hominis erga alterum bene animati ſuſtineas perſonam, in aperiendis animi receſſibus tollendam eſſe malitiam, quod tollat pacem ſocietatis externam, ac laedat eum, cui te non imponere, ſed conſulere honeſtum erat. Hoc certe ſapiens ſtulto intereſt, candidus falſo. Quodſi enim Chriſtianum eſt, ac dignum, quod omnium animis mandetur Carneadis iuſtitiam alias malitioſe exſibilantis, effatum: *Si ſcieris aſpidem oc-*

Primum candidi viri officium eſſe, vt ſit apertus in conſiliis ac iudiciis de rebus aliorum ferendis.

occulte latere vspiam, et velle aliquem imprudentem ſuper eam aſſidere, cuius mors tibi emolumentum futura ſit, improbe feceris, niſi monueris, ne aſſideat: (s) quanto magis, cum haec humanitatis ſint, ipſius candoris erit, vt apertum te praebeas erga eos, qui virtuti tuae confiſi, te non hominem, ſed bonum etiam candidumque virum iudicant. Vnde hic verus profecto illius, qui antiquum obtinet, nec duplex aut bilinguis eſt, character emergit: vt nunquam aliter rerum gerendarum aliis auctor atque ſuaſor ſit, atque ſententiam dicturus eſſet, ſi ſibimet ipſi illud agendum foret, nec vnquam malitioſe candida in nigrum vertat, nec cum abditos et penetrales focos aperit, aculeatis atque venenatis verbis aegrum magis alterum et ferme furioſum, quam laetum ac conſilii dexteritate recreatum reddat. Facete falſus ille morum humanorum Cenſor Boileau, (t)

Mais moi vivre a Paris! lait, *et qu'y voudrois je faire?*
Je ne ſai ni tromper, ni feindre, ni mentir,
Et quand ie le pourrois, ie n'y puis conſentir.
Je ne ſçai point en lache eſſüier les outrages
D'un Faquin orgueilleux qui vous tient a ſes gages
De mes ſonnets flatteurs laſſer tout l'univers
Et vendre au plus offrant mon encens et mes vers
Pour un ſi bas emploi ma Muſe eſt trop altiere,
Je ſuis ruſtique et fier et j'ai l'ame groſſiere,
Je ne puis rien nommer ſi ce n'eſt par ſon nom.

Poſſet

(s) v. Cicero de fin. L. 2.
(t) *Sat. I.* 43. *ſeqq.*

Digitized by Google

Posset nobis quidem occurri vulgati veritate, *obsequium amicos, veritatem odium parere*, atque adeo cum sibi quisque proximus sit, legem candoris non satis videri ad humanum modum latam fuisse, qua nos odio et periculis exponere teneamur: vt aliis veritate ipsa molesti simus. Hinc rectius tibi forte Terentius rationes subduxisse videtur affirmando: *qui amat, cui odio ipsus est, bis facere stulte duco: laborem inanem ipsus capit, et illi molestiam affert.* Sunt enim ferme infinita hominum exempla: quibus si quid ingenue dissuaseris, ac amice viuam eorum imaginem ad oculum expresseris, non in suos mores suamque faciem plane deformem inuehuntur, sed in eos, qui id demum, quod in iis reuera est, depingere ausi fuere. Nam quod tument vesano stolidae libertatis amore, sibi malunt in perniciem quam aliis candide mentem suam exponentibus in spem salutis obtemperare, stant suis iudiciis vt Marpesia cautes, ingenuos, cum iis resistunt, flocci faciunt, alios vero ad voluptatem omnia nil ad veritatem locutos, veros demum ac de se optime sentientes iudicant. His itaque nunc praemium est, *qui recta praua faciunt*, ac id quidem ideo, quod, vt supra monuimus, permulti candorem in suaui conuenientia aliorum hominum cum suis desideriis collocant. Sunt et quidam emissarii malitia certe intolerandi, qui tot precibus ab altero contendunt, candide atq; aperte sententiam suam de re præsenti profiteatur, ac hoc dolo id se effecturos sperant, vt nisi is caute incesserit, responsione ipsa sibi laqueos struat,

ipsi

ipſi vero in eorum, quorum id ſcire intereſt, familiaritatem huius conſilii recenſione ſe inſinuare queant. (*u*) Verum vtut cuiuis facile demus, non ita bene cum rebus mortalium agi, vt meliora pluribus placeant, argumentum peſſimi, turbam eſſe: tamen hac morum deprauatione minime efficitur: vt dolos in ſe et ſua natura malos liceat intendere in illum, cuius tibi nondum ſatis explorata fides eſt, aut cretizare ac vulpinarier cumeo, qui forte Cretenſis, forte et vere candidus eſt. Quod ſi nimia credulitas ac ſtupida de alterius candore perſuaſio iure meritoque ridetur: ab hac ſibi cauendi egregium aliquod medium eſt, honeſta quaedam diffidentia: quæ vero aeque ac in Logicis dubitatio a Scepticiſmo, a nimio ſuſpicionis malignae pruritu probe diſcernenda eſt. Vir itaque candidus non temere ac inconſiderate hoc in genere animi recondita in ſinum alterius effundit: ſed diffidit primo atque examinat, quis ſit is, quocum ipſi res eſt, quo ſe adeat animo conſiliumque expetat, num charitas erga ſe ſilentium, an eadem erga alterum interioris ſententiae expoſitionem poſtulet: atque adeo rebus bene circum-

(*u*) Hac arte ſanctiſſimum Seruatorem, ac vnicum omni ex parte perfecti candoris fontem atque exemplum Phariſaei irretire ſtuduerunt, dum candorem ipſius in tradenda veritate multis laudibus efferentes ex eo quaererent, quid de tributo Caeſari pendendo ſentiret? conf. *Matth. cap. 22. v. 15. ſeqq.* ſed mirati ibidem *v. 22.* dicuntur orationem Chriſti atque ſapientiam, quae certe nulla hominum calliditate circumueniri poterat.

Digitized by Google

cumſpectis in memoriam ſibi rediget regulae in aprico poſitae ſtabilitatem : aut ſuſpendendum eſſe de rebus aliorum iudicium, ſi per iuſtitiam ſuſpendere licuerit, aut animum ita, vti eſt, eadem ſinceritate, qua ſua quisque non moraturus foret commoda, genuine explicandum, ſcapham appellandam, nec ſpem alterius iuſtam iniuſte fruſtrandam eſſe. Sunt enim eo animo plerique, vt quo certius de aliorum candore perſuaſi ſunt, eo maiori ardore finem mediaque ipſis dudum non ingrata,ac blanda praeſertim, ingenuaque alicuius fronte commendata amplectantur. Atqui tantam fidei noſtrae fiduciam num licet tam illiberaliter deludere ac ad quaeſtum applicare? Quodſi metus offenſionis longiſſime remotus, ac in conſtantem virum minime cadens homines ab ingenuitate iure meritoque auocaret: qualis maneret malitioſos inter et candidos differentia,quaenam relicta foret cuſtodia ſocietatis humano intellectui conueniens ? Ecqua haec neceſſaria concludendi ratio eſt, multis inuiſa eſt veritas, ergo non ſalutaris, multi monitoribus aſperi ſunt, ac licet per Deum immortalem ac alia fidei pignora conſilium efflagitent, tamen re vera non ſuaſorem ſed facti et ſententiae ſuae probatorem deſiderant, ergo et talem agere, ac verſatili ad omnia ingenio callide temporibus inſidiari atque ſic foro vti debebis: alia certe candor, alia vero varia eaque depravata hominum cupiditas, tuumque forte praeſens lucrum exigit. Salua vero candoris genuina definitione et illibata felicitate generis humani non licebit

cebit ex quaestu quemque suo spem metumque, cardinales istos hominum affectus, vel minuere vel augere, vti vestitum, ita et sententiam habere aliam domesticam aliam forensem (v) aut, quasi ea veritatis leuitas sit, cum Cottone Iesuitarum praefecto publice et sine rubore fateri: *cum coelo mutari animum* (x) Merito igitur adulationem, quam Philarethus (y) humanitati opposuit, candori opponere videmur: quoniam splendido veritatis praetextu ex stultis insanos, ex miseris miserrimos facit, ac praesentissimum aliquod venenum est, quod ipsa consilii suavitate nocet, et viuida statim ac exuberanti voluptate animos percellit, vt vix locutus iam persuasisse videaris. Non hic eos moramur assentatores, qui natura magis facti videntur ad obsequendum et laudandum, quam ad resistendum, ac de rebus, quas comprobant, iudicandum, sed eos demum Polypo simillimos, malitiosos, ac subdolos homines, qui vultu magis bono quam ingenio, idcirco consilia non ad veritatem sed ad aliorum libidinem accommodata efferunt, vt opes atque potentiam inde consequantur, vel eam sibi voluptatem gratulari queant, tam scienter illusum fuisse hominis impotentiae. Ita enim vitam instituunt, huiusmodi colubrino et capitali qui ingenio sunt: vt, qua maxume hominem aegrotare vident infirmitate, eam laudent ac extimulent, ambitiosos ad vindictam, crudelitatem, splendidam iniustitiam, ac

(v) v. Cicero *de finibus l. 2. c. 24.*
(x) Grammondus hist. Galliae. *l. 15. ad annum* 1620.
(y) Aretolog. *p. 281. seqq.*

Digitized by Google

ac imperii ambitum, auaros ad exſatiandam per nefas loculos augendi anxietatem, voluptati extreme deditos ad accipienda, quae iis Liber et amica Venus tam ſuaui copia largiatur, munera magis magisque excitent: atque adeo leuitati omnium non ſine ſuaui ſpei ſuſtentandae artificio aſſentantur. Quantum ea in animis hominum poſſit adulatio, ac quanta inde mala enaſcantur: vel ex lugubri primorum mundi incolarum exemplo patet: quorum libidini vix diabolus ſtimulos addiderat, cum nulla nec Dei, nec ſuae felicitatis habita ratione effecerunt, vt etiamnum triſtes viuide nobis ob oculos ponere poſſimus malitioſae aſſentationis, et conſilii fallacis ac perfidi effectus. Ita ſolertiae plenum fuit, quod iuſſu Richelii, aſt quanti calliditatum magiſtri! Ioſephus quidam, vt vocatur, pater, Ornano Gaſtonis Ducis Aurelianenſis intimo dedit conſilium, eique accenſa ipſius ambitione perſuaſit, vt nouum aliquod munus a Rege ipſi conferendum ambierit: quod quam ſiniſtre interpretatus fuerit modo memoratus Cardinalis luculentius deſcripſit Clericus. (z) Ex his

(z) in vita Richelii *tom.* 1. *p.* 228. Huc pertinet Mazarini in eo genere verſutia, quam ita memoriae proditam legi *dans les memoires de Louis XIV. p.* 209. *Le Cardinal de ſon coté renouvella artificieuſement au Duc de Rohan cette propoſition, qu'il lui avoit faite autrefois, pour engager Monſieur le Prince, a pretendre la charge de Connetable, a quoi il n'avoit iamais voulu entrer, pour eviter de donner ialouſie a Monſieur le Duc D'Orleans. Et bien que Monſ. le Prince la rejetât cète ſeconde fois, par la même con-*

his adeoque conſiliorum veneficiis abunde patet, praeconceptam contemtus et odii opinionem eſſe, qua vulgo ii, quorum incorruptus in ſententiis dicendis candor eſt, obſtinati, peruicaces, ſuperbi, affectata quadam grauitate ridiculi, ac μισάνθρωποι exiſtimantur. Vt enim certiſſimum eſt, vrbanitatem, ciuilitatem omnem et quicquid hoc nomine vſu venire et vulgo excuſari ſolet, quatenus candori refragatur, malitiam eſſe ac ſocietatis peſtem: ita et non omne obſequium placendique ſtudium candidi viri officio repugnat, nec blanda ac *publica* quaeuis *verba* ſplendida mendacia appellari in vniuerſum merentur (ſunt enim honeſta ſaepius veritatum forte acerbarum condimenta, nec iniuſta beneuolentiae aucupandae media) ſed ea demum, quae in multis vrbanioris notae hominibus verſutia eſt, cum probitate conciliari nequit, quando

Fronte politi
Aſtutam vapido geſtant ſub pectore vulpem.

Quod-

conſideration, le Cardinal ſût tellement ſe prevaloir de conferences particuliéres qu'il ent ſur ce ſuiet auec le Duc de Roban, qu'il leur donna toutes les apparences d'une negociation ſecréte, que Monſ. le Prince menageoit avec lui, ſans la participation de Monſ le Duc d'Orleans, et en quelque façon contre ſes ſentimens. De ſorte que ce Duc ayant reçu toutes ces impreßions, et voiant un procedè, qui lui paroiſſoit tout enſemble peu ſincére et peu reſpectueux de la part de Monſ le Prince, il ſe crût degagè de tout ce qu'il lui avoit promis, et conſentit de l'heure ſans balancer au deſſein de le faire arêter priſonnier.

Digitized by Google

Quodſi itaque is meliori iure horridus, μισανθρωπος, ac generis humani hoſtis vocari meretur, qui eum ſe eſſe facto ipſo comprobat, non vir candidus atque ſincerus (huius enim indoli aduerſa fronte talis aſperitas aduerſatur) ſed malitioſus aſſentator hoc nomine dignus eſt, vtpote qui *verſat naturam ſuam malitia, regit ad tempus, atque huc ac illuc eam flectit et torquet,* (*a*) ac fallacibus blanditiis inflammandae libidinis artifex et malorum, quae inde ſequuntur, auctor eſt. Egregie Cicero *moleſta eſt veritas*, inquit, *ſiquidem ex ea naſcitur odium, ſed obſequium multo moleſtius, quod peccatis indulgens praecipitem ferri amicum ſinit, et*, quod nobis ſuperaddere liceat, *efficit.* Quid? quod ipſa experientia docemur, eos, qui ſemper illud, o factum bene! nunquam haec melius excogitari potuiſſent! hoc age, felix eris! malitioſe exclamant, plus quidem in praeſens his proficere artibus, mox iis ſibi et grauius odium et maiorem infamiam conſciſcere, *fidem vero*, vt eleganter Plinius (*b*) *in praeſenti eos, quibus reſiſtit, offendere, deinde ab illis ipſis ſuſcipi laudariq;*. Vnde concluditur, vt iis praeſertim, qui principibus a ſanctioribus conſiliis ſunt, ſancta debeat eſſe veritas, ac omnia domini improbe circumueniendi diverticula maxume inuiſa, quoniam non ſolum virtute ſed et ipſo iure ad ſententiam ingenue dicendam ob-

(*a*) Depromta haec ſunt ex elegantiſſima Catilinianae malitiae deſcriptione, quae extat in Ciceronis *Orat. pro Marco Coelio cap.* 6.

(*b*) *L.* 3. *ep.* 9.

obſtringuntur, ac tot in republica homines vnius Ducis de Lerma, Lunii, aut alius cuiusque vel fidei vel perfidiae ſuam vel incolumitatem vel calamitatem debent. Nam quod quidam ex miniſtris ſine dolis, rerum ingratarum reticentia, ac aſſentatione malitioſa vix ſe ſtatum ſuum obtinere poſſe exiſtimant; ſuum illud Pittaci magiſtratu abeuntis facientes, quam difficile eſt bonum virum eſſe: rationibus ita ſubductis officium ipſum, quod ſic tueri conantur, deſerunt, ac perinde iudicant, ac ſi conſiliarii ſanctioris dignitas ſine ſcelere ac fidelitatis exilio confirmari ac augeri nec poſſet nec deberet. Hinc appoſite Eſprit: *il n'eſt pas neceſſaire*, ait, *de s'aggrandir, et il eſt neceſſaire d'etre droit, veritable, et fidele.* (c) Nec principes ad vnum plane omnes adulationi fauent, aut probitati ipſi diffidunt: ex tot aliis optumis ſane principibus, in Henrico IV. Galliae Rege hanc regiam indolem fuiſſe legimus: vt nullo eum ſibi quisquam officio magis deuincire potuerit, quam cordata veritatis, etiam vitiorum, quae in ipſo erant, declaratione: cuius quidem praeclarae virtutis commemorationi hanc feſtiuam ſubiicit ſententiam Perefix (d) *auſſi eſt ce le ſeul moien, par le quel vn Prince peut ſe rendre parfait, ſavoir toute choſe, et n'etre jamais trompè.* Ratio enim in promtu eſt, quamobrem felix principum regimen, a quo tamen publica omnium dependet ſalus, perennare nequeat, cum ipſi patriae patres ab iis, qui in arctio-

(c) *de la fauſſetè des vertus humaines p. 44.*

(d) *Hiſtoire de Henri IV. p. 545. et les reflex. mor. de Marc. Antonin. par Dacier 6. §. 21. p. 15.*

Digitized by Google

arctiorem illorum ſocietatem adſciti ſunt, dolis malis circumſcribuntur, atque adeo in aulis veritas contemta iacet, imo ad morionum impudentiam relegata videtur. Peſſime igitur miniſtri, quorum in veritate dicenda, ac principum vera ſalute tuenda ſingulare officium eſt, prouincia iis demandata abutuntur: qui omnia ſubdole agentes variis artificiis veram patriae vtilitatem negligunt atque peruertunt, perinde vt Oliuarezum Philippo IV. plus ſemel verba dediſſe, quae vix ſibi par a pari impune dari pateretur, ac prauis conſiliis amiſſae Portugalliae cauſſam praebuiſſe nouimus: id quod copioſius tradit Gundlingius in editis ſtatuum recitationibus. (e) Nec mirum eſt, et hic malum conſilium conſultori peſſimum eſſe: ac eos, qui tam capitalibus fallaciis alios fruſtra habere conſueuerunt, Seiani inſtar eadem ſolertia capi, repente quidem oriri ſed et occidere, nec ſine graui dolore eius fortunae et inconſtantiam ſubire et iuſtitiam, cuius fabri fuere ipſi, ac, quo minus eſſent, nullis antea ſanioribus conſiliis permoueri potuerant. Fateor et eos, qui honeſtatem ſemper vultu ſemper verbis et factis exprimere ſtuduerunt, interdum vt fit, fortunae mutabilitatem experiri: ſed horum longe alia et felicior conditio eſt, quod etiam debilitata imperandi auctoritate iis illibata ſupereſt dignitas, αὐτάρκεια, et honeſtatis iucunda recordatio. Eſt itaque honeſtum vtile atque iucundum, vt pro virili magni aeque ac infimi (ſunt enim in eadem naui omnes) ſedulo efficiant:

(e) cap. 3. §. 11.

ciant : ne in republica Sycophantis, Proteis atque Vertumnis vel ad magnum honoris gradum elatis abundante, veracitatis exequias celebrari neceſſe ſit: atque ſic ea exſurgat ciuitatis facies, quam Petronius deſcripturus: *O mi hoſpites*, ait, *ſi negotiatores eſtis, mutate propoſitum, aliudq; vitae praeſidium quaerite. Sin autem vrbanioris notae homines ſuſtinetis ſemper mentiri, recta ad lucrum curritis. In hac enim vrbe - non frugalitas ſanctique more laudibus ad fructum perueniunt, ſed quoscunque homines in hac vrbe videbitis, ſcitote in duas partes eſſe diuiſos. Nam aut captantur aut captant - Videbitis oppidum tanquam in peſtilentia campos, in quibus nihil aliud eſt, niſi cadauera, quae lacerantur, aut corui, qui lacerant.*

§. VIII.

Candor ſermone aſſerente neminem improbe de fraudari patitur proinde multo minus ſermone promittente.

Quod ſi igitur in familiari conſortio id agere debemus, vt, dum quid aſſerimus, alter in veracitate noſtra fiduciam collocare queat: multo magis, dum paciſcimur ex ſpeciali ſinceritatis promiſſione ens illud intentionale ingenue ſine vllo dolo malo enuntiare debemus. Eſt quidem nondum evictum primum, verum, et adaequatum iuris natur. principium : ſed hoc tamen ex illis, quae generatim de pactis traduntur, facile patet: tum omnium minime aliud lingua promtum, aliud pectore clauſum habendum eſſe, cum ex ſermone ius aliquod irreuocabile naſci debet. Irreuocabile autem quod eſt, non certe pactionum calumniis aut friuolis iſtis frigidis atque ieiunis fidei violatae excuſationibus valide reuocari:

is

Digitized by Google

poteſt, in quas illud Senecae ſcite quadrat: *Nolle in cauſſa eſt, non poſſe praetenditur.* Vnde peſſimis machinationibus naturæ ordinem inuertunt, qui ſermonis veritatem ipſamque promiſſorum religionem in ſonum inanem transmutant, ac cum ſibi credi volunt, re vera hariolantur, cum fidem dant, fabulas, λόγους recitant, cum iureiurando ſe candide polliceri aſſerunt, ſomniant. Mazarinus, vir ille in promittendo ſubdolus, adeo fidei ſuae adſeueratione Condaeum faſcinauit: vt hic in ea ipſa vincula, quae aduerſariis ſuis deſtinata credebat, opinione citius incurrerit. (*f*) Nec minus maligna fuit verſuta iſta Zotici iactantia, qua multos alloquendo: *de te hoc locutus ſum, de te hoc audiui, de te hoc futurum eſt,* fruſtra habuit, pecuniaque emunxit. (*g*) *Iactantiam* in hoc facto notauimus, quam quoque candori eatenus opponimus, quatenus quis de ſinceritate ac viribus ſuis plus iactitat, quam in iis eſt, vt ſic ſpem aliis excitet, ac cum ſperare coeperint, ſpe plenos lactet, fallat, atque producat. Huc quadrat illud. Fam. Stradae: *nulli* iactantius *fidem ſuam obligant, quam qui eam maxume violant.* Quodſi vero vetus iſta Romanorum formula: *inter bonos bene agier oportet, vti ne propter te fidemue tuam fraudatus ſiem,* nondum abolita eſt: eandem etiamnum ad regum quoque ſolium, iis certe vitiis, quae in infimis quibusque furca digna habentur, non deformandum, ap-

 plicare

(*f*) Luculentius id deſcribunt cit. *memoires de la minorité de Louis XIV. p.* 211.

(*g*) conf. omnino Lampridius in vita Heliogabali *cap.* 10.

Digitized by Google

plicare non dubitamus. Nonne enim pudendum eſt, ac pro tali a viris quibusque cordatis merito habetur, adeo exoleuiſſe Regiae ſinceritatis auctoritatem, vt multi plane Regium putent fidem dare, plebeium ſeruare, ac quidam apud Baelium (*b*) fidem ſuam daturus non ad Regiam fidem, ſed ad candorem nobilis cuiusdam ac hominis ſatis honeſti prouocauerit. Sunt quidam, qui factum cum iure, cum vera, Pſeudo-politicam miſcentes, prorſus neceſſe exiſtimant, vt non fidelitas et iuſtitia ſed bellica tormenta vis atque potentia vltima regum ratio ſit. (*i*) Num vero tam ſancta poteſtas, quae Dei vicaria audit, ſine ſcelere et iniuſtitia nec conſtare nec ad tantum felicitatis faſtigium euehi poteſt? Imo vero neceſſaria videtur eſſe inter principes diffidentia non malitia. Sed quid nos his de rebus ratiocinamur? Forte nos inſulſe ex intimis philoſophiae moralis receſſibus ſcrupulos quosdam principum deſideriis inieciſſe magna iſta ingenia iudicant. Forte quis cum Naudaeo (*k*) Regum probitatem affirmabit plane diuerſa ac ſingulari incedere via, quae licet aliis improba atque deuia eſſe videatur, tamen plane neceſſaria, iuſta atque legitima ſit. Verum

(*b*) *Dict. hiſtor. et critique voce* Ageſilaus.

(*i*) Teſte Flechierio *de la fauſſeté etc. p.* 47, Antonius de Leva Carolo V. ſcripſit: *que s'il vouloit tenir ſa parole, etre veritable, et viure avec probité, il quitta l'empire et tous ſes Roiaumes, et qu'il ſe jettât dans vn cloitre.*

(*k*) *Sur les coups d'etat. p. m.* 54.

Digitized by Google

Verum qui ita ſentit, velim explicet vberius, vnde principibus plane alia atque reliquis hominibus contigerit axiomatum moralium intelligentia: vt licet nos iniuſtum iudicemus, cum fuerit aliquorum

Mel in ore, verba lactis,
Fel in corde, fraus in actis,

tamen eo ipſo, quo id voluerunt, iuſtum efficiatur. Adeone Reges legibus naturalibus ſoluti ſunt, vt hae illorum deſideriis, non haec illis accommodanda ſint, nullumq; regnum ſub grauiore ſit, adeoque iure meritoque magna regna magna exiſtant latrocinia? Quotquot Anaxarcho ſimiles principibus aſſentantur, omnemque veram tollunt probitatem, non ſane omnibus iſtis verborum phaleris efficient, vt malitioſa quaedam reipublicae, ſeu vt vocant, ſtatus ratio, tam atrocem per pacta fallendi iniuſtitiam excuſet, nec Ludouicus quidam XIV. inter ſenſum pacti literalem et myſticum *entre la lettre et l'eſprit d'un traitè* diſtinguens, eo ipſo ſatis euidenter veram inter ac ſubleſtam regis fidelitatem diſtinxiſſe videatur. Sed quod magis tamen ſpuriae vtilitatis quam fidelitatis rationem habere ſolent mortales, pactionum quoque initarum ſanctimonia toties atq; toties eidem vtilitati, ceu iniuſtiſſimo tyranno, cedere debuit. Hinc Carolus IX. Colinium literis ſalui commeatus fideq; ſua toties iterata perfide ſatis decepit. (*l*) Hinc alii dum foedera inire videntur, ſocietatem leoninam ineunt, eos, quos ſe propugnaturos promittunt, ſibi ſubiiciendi animo, perinde vti olim Francor. amicitia exitioſa habebatur atq;

(*l*) Conf. vitam Colinii *p. m.* 101. *ſeqq.*

atq; metuenda. Ac licet vulgo induciae pacem ipſam non aliter atque retorſiones bellum praecedere ſoleant, tamen qui colorem a re ipſa diſcernunt, mecum affirmabunt pacem ſaepe ipſam nil niſi inducias eſſe, ideo bellorum fulmini interpoſitas, vt bellantes viribus exhauſti reſpirare, ac tum demum pactum, quod aeternum fore iurant, iam quatuor aut ad ſummum decem annorum ſpatio terminare queant. Huc collineant ſplendida iſta doli mali inuolucra, tot cauillationes, perfidiae latebrae, aequiuocationes, ac quas Maximil. I. Imp. vocabat, gloſſae, quae artificioſe paci adhuc conciliandae intexi ſolent. Franciſcus I. paci Madritianae ſubſcripturus, teſtes prius et eos, qui velocibus notis res excipiunt, conuocauit, quorum poſtea teſtimoniis vteretur, ſe eſſe coactum et per iocum ſaltem fidem ſuam dediſſe. Ita et Richelius Cardinalis aliquando pacem cum reformatis in Gallia ideo fecit, non vt pacto ſtaret, ſed vt ſecuros ſubigeret, quod quidem conſilium ita Papae nuntio expoſuit (*m*) *qu'il vouloit exterminer les Hugonots, mais quil falloit, qu'auparauant il ſcandaliſoit encor une fois le monde.* Volmarus ille Caeſaris ad pacem Weſtphalicam ablegatus quartus ſe id acturum teſtatus fuit, vt multa quidem Proteſtantib⁹ promiſiſſe videretur, nihil vero, cum quis clarius verba interpretetur, iis iucundum promiſerit, aeq; ac Mazarinus ad pacem Pyreneam conficiendam miſs⁹ a Ludou. 14. R. G. ſe quam ingenioſiſſime Ludou. Hareum Hiſpan. legatum circumſcripturum eſſe ſcripſit. Verum ſi quid video, ve-

(*m*) Cleric. *vie de Richelieu, tom. I, p. 202.*

Digitized by Google

verior fuit et excellentior his dolis omnibus Germanorum gloria, quibus publice in Romano ſenatu edicere licuit: *nullos mortalium aut armis aut fide ante Germanos eſſe.* (*n*)

§. IX.

Candorem amicorum erga amicos exponit.

His itaque officiis nos candor erga omnes, cuiuscunque demum ſortis ac conditionis fuerint, fungi iubet: vnde quod longe excellentiori gradu erga amicos nos ſinceros praebere debeamus ſua ſponte elucet, quo magis inter pectora fere amica diffidentia ceſſat, ideoque candoris oſtendendi frequentior occaſio eſt. Verum et hoc in genere quidam altius quam par eſt rationes ſubducunt, ac eum demum perfectum amicorum candorem exiſtimant, cum quis amicitiam ſuſcipit nulla nec vtilitatis nec voluptatis habita ratione, atque ſic in ſola virtutis, quae in amico eſt, contemplatione acquieſcit. (*o*) Sed rem omnino nullam ſine vlla ſpe voluptatis inde deriuandae nec appetimus nec appetere poſſumus, adeoq; illi, qui quod vulgus vtilitate ſola amicitias probet, omnem vtilitatis rationem ex amicitia ineunda exterminatam volunt, iniquiſſime id poſtulant, quod plane fieri nequit, cum vel ipſa voluptas ex familiari conſortio enata quaedam vtilitas ſit. His potius officiis verus amicorum candor continetur: vt et taciturni ſint et aperti, atque adeo tueantur eam amoris conſpirationem, e qua nomen amicitiae ductum fuiſſe res ipſa probat. Taciturnos eos eſſe oportet

(*n*) conf. Tacitus *Annal.* 14.
(*o*) conf. Flechierius *de la fauſſeté &c.* p. 74.

portet in arcanis ipſorum fidei concreditis, quoniam amicus non iis ſolis ea ſecreta reuelaſſet, ſi ea in propatulo haberi aut voluiſſet, aut ſatis tutum putaſſet. Nec minus fidelis eorum ſit reticentia in veritatibus ad tempus diſſimulandis, quae nec tuto audiri, nec tuto narrari vident: ne garrulitate odiſſe magis quam amare amicum videantur. Quid vero amicitia aliud niſi campana ſine piſtillo erit, cum ex familiaribus alter perpetuo veritatum condus, nunquam promus eſt, et arcana, vel ſtudiorum, vel cuius demum generis ſint, abſorbere mauult, et ſepulcro mandare, quam amicorum memoriae? Proinde amicus, vel nomine, quod ſuſtinet ipſo extimulatur, vt vel maxime apertus ſit, eique intimos animi receſſus aperiat, cui fidem habendi ſingularis atque ſufficiens cauſſa eſt. Sunt autem permulti eo quidem ingenio praediti, vt et amicis intimis diffidendum, ac raro iis arcana committenda eſſe cenſeant, quoniam et amiciſſimus degenerare poſſit in inimicum, atque adeo nimiae ſecuritati tuae debeas, ſi tibi nocuerit. Verum nonne tum notum illud, fide, ſed cui vide, in exilium eiectum fuit, cum ipſa amicitia ſuſcepta te non quaerere, cui fidas, ſed reperiſſe eum, et huic te fidere ſatis ſuperque ſignificaſti? Ideo amica quaedam ſocietas extruitur, vt mutua vterque fiducia ſine vllo metu veram animi ſententiam exponat, quem amicitiae finem num aequum eſt tam maligna diffidentia deludi? Quodſi vere Ariſtoteles amicos vnam animam eſſe dixit duobus corporibus incluſam (p) huic

(p) Hoc Stagiritae dictum eouſque extendit Montaneus,

Digitized by Google

huic certe deſcriptioni ea hominum facies contrariatur, qui dum deliberant, loquuntur, et agunt, tuta omnia timent, et anxie ſibi perpetuo apud animum proponunt illud Biantis: *ama tanquam oſurus.* Dum enim cupiunt apparere cauti, amici eſſe deſinunt, et facto comprobant ipſo, ſe nondum radicati candoris fundamenta perſpexiſſe in illo, quo familiariter vtuntur, licet ea ſe iamdudum agnouiſſe prae ſe tulerint. Ex quibus emergit, omnium maxime deteſtabilem eſſe eorum characterem, qui in tutiſſima familiaritate liberiores amici ſermones alta mente reponunt, imo et literas ab amico ad ſe, vt fit, liberius ſcriptas diligentiſſime aſſeruant, vt, ſi qua aliquando ſimultas orta fuerit, repente ſerpentum inſtar eminentibus oculis, inflato collo, tumidis ceruicibus, ex latibulis proſiliant, ac horum arcanorum proditione vindictam exercere queant. Eius nefandi facinoris apud Baelium (*q*) inſimulatur Iarrigius neque ineleganter ibi additur: *il eſt certain, que ceux, qui conſeruent dans cette vue les lettres de leurs amis, leurs conuerſations les plus libres, leurs confidences les plus etroites, ſont de malhonnettes gens.* Nec ita pridem inſigne eiusdem rei exemplum contigit, duos inter diuerſarum aularum miniſtros, quorum tibi alterum Papiniani, alterum Protei nomine fin-

vt licet iuraueris, te nemini arcanum aliquod tibi concreditum reuelaturum eſſe, tamen illud amico exponi poſſe putet, quoniam amico quid referens tibimet ipſi referre videaris v. Flechier. *l. c.*

(*q*) Dict. hiſt. et crit. v. *Iarrige.*



fingas velim. Id nimirum inter vtrosque conuenerat, ſanctaque ſaepius fide corroboratum fuerat, vt alter ad alterum prout in buccam venerit, id quod in vtraque aula geratur, perſcribat, ac ne quis arcanorum particeps fieret alius, literae traditae ſtatim comburantur. Theſea fide pacto ſtetit Papinianus, Proteus vero ſuſpicax nulla fidei ſaepe datae ac amicitiae habita ratione omnium accuratiſſime epiſtolas ſervauit, easdemque, cum calamitatis ſuae cauſſam perperam ſuſpicaretur Papinianum, protulit omnes, prodidit, atque adeo fideli nocere ſtuduit, ac, quod vulgo dici ſolet, ſemper aliquid haeret, aliquamdiu nocuit: tandem vero bona cauſſa triumphauit. Qua occaſione non immerito quaeſitum fuit, num adeo hoc facto candorem oppugnauerit Proteus, vt non ſolum boni et aequi regulas violaſſe, ſed et crimen falſi commiſiſſe adſeri queat, id quod nos omnino affirmare non veremur. Vtut enim lex Cornelia de falſis ab initio ſaltem de teſtamentis fuerit lata, indeque teſtamentaria dicta *l.* 1. *de publicis iudiciis*, eadem tamen poſt per Scta ad conſequentiam tracta, ac extenſa ad falſarios rationum, aliorumque inſtrumentorum *l.* 1. §. *qui rationibus l.* 9. §. 1. *L. inſtrumentorum* 16. §. 1. *ad L. Cornel. de falſis.* Quod itaque dicta ſanctio poenalis ad noſtrum caſum vel maxime referatur ac pertineat, *L. ſi quis aliquid* 38. §. *inſtrumenta ff. de poenis* me dubitare non ſinit. Supponitur ibidem caſus, quod duo apud aliquem inſtrumenta depoſuerint, quae depoſitarius alteri ſine altero reſtituit, vel parti aduerſae tradidit, con-

Digitized by Google

concluditurque *a Paulo in recept. ſententiis l. 5. t. 25. §. 9.* eiusmodi falſarium pro perſonae conditione aut in metallum damnandum, aut in inſulam relegandum eſſe. *conf. Schulting. in Irpr. ante Iuſtin. d. l.* Dic enim quaeſo mi Proteus, cur fidem toties dediſti, ſi ſeruare nequis? Cur reticentiam pollicitus fuiſti, ſi plenus rimarum es? cur pectus amicum prae te tuliſti, ſi hoſtilem animum circumfers, ac viro noces optimo, qui laeſus non eſſet, niſi credidiſſet? Eſto, quod autem ſalua veritate dari nequit, Papinianum calamitatis tuae cauſſam fuiſſe, tamen ex vulgari illo, fidem frangenti fides frangatur eidem, non euinci poterit, vt malitiam malitia repellere, ac fallacibus nocendi artibus vti potuiſſes, quare? quoniam alter iis primo vſus fuit. Eſt enim et erga inimicos candor quidam, ne cum alter proditorem agit, et ſua ſibi infamia ſatis nocet, eadem proditione eum remuneremur, ſed, quod demum egregiam candoris conſtantiam teſtatur, etiam in alterius malitia honeſti ſimus. Nam qui ſine vlla diſtinctione ad iuſtam defenſionem ac ſacroſanctum talionis ius id genus iniuriae vindicandae media referunt, ii ipſi χαιρεκακίαν quandam excuſare videntur, qua quod tibi male eſt, efficere ſtudes, vt etiamalter excrucietur, ac hunc finem religioſi cuiusdam depoſiti proditione aſſequi conaris. Forte quis cum Flechierio in ſaepe laudato opere (*r*) diſtingendum putaret inter fidem ſeruare, quam diu aliquis in aula potens eſt, et inter violare eandem, quando gratia principis excidit, ſicque tempora tempore temperando

(*r*) *de la fauſſeté des vertus humaines p. 255.*

Horatianum illud (s)

Vt tu fortunam, ſic nos te Celſe feremus.

ſuum faceret. Verum eiusmodi elabendi rimas ac perfidiae colores anxie quaerere, foret cum Carneade non minus pro vero quam pro falſo vires facundiæ intendere velle, adeoque talia vaframenta recitaſſe, eſt eadem refutaſſe. Potiori iure iniuriarum turpe iudicium in tali caſu violati contractus fiduciae locum habere, contendere auſim, quo facit Vlpianus *in L. ſi quis 41. pr. vs. ſed et ſi quis ff. ad L. Aquil.* vbi quidem inter alia dicitur: *Sed et ſi quis tabulas teſtamenti apud ſe depoſitas deleuerit, vel pluribus praeſentibus legerit, vtilius eſt in factum et iniuriarum agi, ſi iniuriae faciendae cauſſa ſecreta iudiciorum publicauit.* Quodſi quis vero vel intempeſtiua miſericordia vel aequitate cerebrina ductus, mitius de peruerſis Pſeudo-politicis huiusmodi machinationibus ſenſerit, is tamen hoc procul dubio rei veritati dare debebit, *quaſi falſum* obtigiſſe ac id quidem ob *L. 1. § vlt d. tit. de falſis.* Hinc tanto orationis fulmine Cicero in M. Antonium eiusdem proditionis reum inuehitur, (t) ibique *at etiam literas*, inquit, *quas me ſibi miſiſſe diceret, recitauit, homo et humanitatis expers et vitae communis ignarus. Quis enim vnquam, qui paullum modo bonorum conſuetudinem noſſet, literas ad ſe ab amico miſſas offenſione aliqua interpoſita in medium protulit, palamque recitauit? Quid eſt aliud tollere e vita vitae ſocietatem, quam tollere coiloquia amicorum abſentium? Quam multa*

(s) 1 *Ep* 8. *v.* 17. v. Spectateur ou Socrate mod. *tom. 1. diſc. 60.*
(t) *Philippica orat. 2. cap. 4.*

Digitized by Google

multa ioca ſolent eſſe in epiſtolis, quae prolata ſi ſint, inepta eſſe videantur, quam multa ſeria? neque tamen vllo modo diuulganda.

§. X.

Sed haec de candore hactenus allata ſufficiant, pauca, ſi argumenti amplitudinem atque praeſtantiam, bene multa, ſi paginas diſſertationis academicae limites ferme iam excedentes ſpectaueris. Plane alia, cum prima harum meditationum exempla typis euulganda curaremus, nobis inſtituti ratio erat, et hanc generalem de officiis ex candore profluentibus tractationem ad varios hominum ordines applicare atque ſic tam fructuoſum argumentum variis illuſtrare obſervationibus nobis propoſueramus, ſcitu non iniucundis, effectu neceſſariis. Inprimis vero ſe nobis offerebat *Theologorum* candor non ſolum in ſigillo confeſſionis ſed et in elencho exercendo oſtendendus, quam quoque ob rationem ſupra nihil de reſeruationibus mentalibus piisque fraudibus monitum fuit, vt iſta doctrina hoc loco exaſciata diligentia ad liquidum perduci poſſet. Nec incongruum putabamus de *Medicis* diſquirere, ex quo fundamento et quousque morbi grauitatem aegroto vel reticere teneantur vel declarare. *Philoſophorum* vineta caeſuri diſquirebamus, num ille ingenuus ſit *Mathematicus*, qui ex falſo elicit verum, *Phyſicus*, qui ad probandam hypotheſin quandam, ſuam vel alienam falſo allegat experientiam, *Logicus*, qui paralogiſmis et ſophismatibus vtitur, *Metaphyſicus*, qui obſcuritatis arcano aliorum deludere magis quam inſtruere ſatagit animos, *Politicus* et *Iurispr. Nat. Antiſtes*, qui vera in falſum conuertit, et generatim, num candidi magiſtri ſit arcana ſtudiorum ſibi ſeruare. De *Hiſtoricorum* autem candore pauca traditurus poſt Homeros, vtrumque Bierlingium, Patrem νῦν ἐν ἁγίοις, (cui ſuum decus grata rependit poſteritas, rependetque, quamdiu ſuus candori conſtabit honos, ſuumque pretium) et Filium, paternarum virtutum ex aſſe haeredem, variis in elegantibus hoc de argumento ſcriptis emiſſis, iliada canere, ac diſpicere ani-

Epilogus.

animus erat, quousque et dissimulatio veritatis cum integritate historici conciliari queat. Tum et quatenus *Oratorum* in panegyricis iure vel iniuria desideretur ingenuitas et an *Poetae* Satyrici vere candidi sint explicare, non videbatur a scopo alienum. Haec similiaque iam ad colophonem perducta praesenti diatribae inseruissemus, nisi crescente sub manibus materia verendum fuisset, ne otio B. L. non volumen, sed qualem qualem exercitationem desiderantis, abuteremur. Has itaque primitias tuo aequo, candide L. tradimus iudicio: iudica, sed benigne, nec fac, vt te potius rigidiorem Aristarchum, ac huius disquisitionis Momum, quam rei descriptae ipsius satellitem experiamur. Est enim hoc iuuenile opus a virili robore probe distinguendum, quod ipsum vti pro modulo aetatis atque ingenii, ac pro eruditionis curta supellectile scriptum: ita et beneuole diiudicandum est. Quare si quid nosti rectius, candidus imperti, sin minus, his vtere mecum.

TANTVM.

COROLLARIA.

1) Exceptio, quod metus caussa, sine vlla distinctione, vtrum metus sit iustus, an iniustus, inter liberas gentes locum non habet. 2) Num legati eorum, ad quos missi sunt, principum ministros largitione vel alio quoque artificio ad perfidiam impellentes Pseudo-politici sint? problema esto. 3) Non omnia Ludov. XIV. Gall. Regis bella fuere iniusta. 4) Maiestas non immediate sed mediate a Deo proficiscitur. 5) Contra tyrannos, vtut re vera, quamdiu tyrannidem exercent, furiosi sint, bellum mouere licet. 6) Iusiurandum Iosuae. Gabaonitis praestitum non fuit obligatorium 7) Vtrum ob ingruentem sterilitatem de Iure Nat. locator aliquid de pretio remittere teneatur conductori? quaerenti respondebo. 8) Forma Imperii German. si naturam spectes, nec irregularis nec monstrosa dici potest. 9) Etiamnum multae inter principes et comites supersunt differentiae. 10) Ius Caesaris confirmandi Papam in hunc usque diem nondum derelictum esse videtur. 11) Imperium nostrum etiam sub Carolingis fuit electiuum et limitatum. 12) Omnis iurisprudentia positiua est historica. 13) Iudex contra conscientiam suam iudicare non debet. 14) Sine doctrina Logicorum de relationibus pleraq; in iure obuenientia negotia vix diiudicari possunt. 15) Non in mediocritate consistit criterium virtutis. 16) Nulla virtus moralis in S. Scriptura commendatur, quae rationi repugnet. 17) Voluntas est norma actionum humanarum.

Candor

Digitized by Google

Candor et integritas vitae, probitasque fidesque,
Eſſe ſolent hodie res intermortua paene,
Et tamen inculcas? Studiorum haec cura Tuorum
Maxima nempe fuit, doctrinae vt origo pateret,
Hauſeris vnde Tui candoris pondera veri.
Candor enim IOVAE gratus, quin pectora, priſco
Quae candore nitent, adamat ſapientia caeli:
Hanc quum mature diſcas, matura iuuentus
Eſſe poteſt rebus magnis, alios paraſangis
Dum ſuperas iuuenes multis; haec laus Tibi prima
Debetur. Candore locas fundamina Iuris,
Et Clariae multa quum Gentis imagine fulges,
Aemulus es pariter referens ex aſſe Parentem
Illuſtrem, ſimilis meritis aliquando futurus.
Haec reputans candore precor permotus honeſto,
Vt candore queas tandem ius dicere et aequum,
Candidiorque Tibi ſemper fortuna recurſans
Canitie multa, meritis et nomen honoret.

Eximio Domino AVCTORI, *Iuueni rara indole, eruditionis et diligentiae laude nec non morum gratia commendabili, probis omnibus dilecto, ſuoque ordini et aequalibus exemplo haec gratulabundus ſcribebat*

WIGANDVS KAHLER,

S. THEOLOG. LICENT. EIVSDEM ET MATHESEOS NEC NON POESEOS PROF. PVBL. ORD.

NOBILISSIMO ET PRAESTANTISSIMO DOCTAE DISSERTATIONIS DOMINO AVCTORI.

Candorem, PESTELI, iam Tua ſcripta legenti
Candida demonſtrant, lectaque ſaepe placent.
Candidior cygnis virtutis et artis amicus,
Quem ſua Muſa polit, nec ſinit eſſe ferum.
Non falſarum habitu virtutum ornata iuuentus:
Nil Tibi doctrina fortius eſſe poteſt.

A teneris Proauum, Patrui, magnique Parentis
Et veſtigia habes, et ſuperare cupis.
Exemplum candoris habes, morumque ſacrorum:
Hos candore Tuo, ſuauis Amice, colis.
Tu genus atque decus Maiorum vt laude mereris:
Marte Tuo doctum ſcribis id artis opus.
Sis bonus et iuſtus, ſis verax atque politus:
Sis forma et ſpeculum, lux et imago Domus.

S.

IOH. NICOLAVS FVNCCIVS.

LOQVERE, VT TE VIDEAM.

Vor Zeiten war es ſo: Sie wuſten nichts von heucheln.
Ein Wort, ein Wort, ein Mann, ſprach jeder Bieder-Mann.
Vielmehr verfluchten ſie das gleißneriſche ſchmeicheln.
Man nahm ein bloſſes TOPP, ſtatt eines Eydſchwurs, an.
Nunmehro heißt es zwar: Mein Herr, ich bin ihr Diener,
Ich bitte, ſie befehln, worin ich dienen mag;
Allein, ſo baldig nur die Suppen, Braten, Hüner
Verzehret ſind, ſo ſagt kaum einer: guten Tag.
Ja, welche kurtz zuvor auf alten teutſchen Glauben,
Auf das, was ehrlich iſt, ſich eines zugebracht,
Sind offt diejenige, die ſich am ſtärckſten ſchrauben,
Und meinen noch dazu: ſie hätten das wol Macht.
Was hilfft dahero, viel von Redlichkeit zu ſchwätzen?
Noch ſo vertraut zu thun? man zeig es in der That.
Dann bloß die Worte ſind mit nichten hoch zu ſchätzen,
Wann nicht das Hertze von der Zunge Kantniß hat.
Sie, als ein wahrer Zweig des Peſtelſchen Geblüte,
Ich weiß und bin gewiß, Sie ſtimmen völlig ein,
Dann Ihr Herr Vater iſt voll Redlichkeit und Güte,
Dahero wird der Sohn, ſo wie der Vater ſeyn.
Die Blätter, die wir hier vor unſern Augen haben,
Beſtätigen den Satz, und zeigen hell und klar:
Es habe allerdings der Sohn des Vaters Gaben.
Dies leget die Diſput auf allen Seiten dar.

Hiermit will ſeinen aufrichtigen Glückwunſch, zum abgelegten Probe-Stück, der von Herrn Reſpondenten wohl verthädigten Aufrichtigkeit, abſtatten

L. B. LENDERKING, A.S. et A.O.C.

Digitized by Google